

9.10



SYNODUS DIOECESANA
QUINQUE-ECCLESIAENSIS,
MDCCCLXIII.

ACTA ET DECRETA
SYNODI DIOECESANAE

QUINQUE-ECCLESIENSIS,

Anno Domini MDCCCLXIII,

Diebus 1-ma, 2-a, et 3-a Septembris

CELEBRATAE.

SUB EXCELLENTISSIMO ILLUSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

GEORGIO GIRK,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPO QUINQUE-ECCLESIENSI,

SACRATISSIMAE CAESAREAE, AC REGIO APOSTOLICAE MAJESTATIS ACTUALI
INTIMO STATUS CONSILIARIO, SS. THEOLOGIAE DOCTORE COLLEGIATO.

CONSPECTUS

Objectorum Synodi V.-Ecclesiensis.

ACTA SYNODALIA.

	Pagina.
1. Indictio Synodi	I
2. Edictum Valvale	III
3. Congregatio Praeliminaris	IV
4. Commissiones Speciales	V. VI
5. Sessio prima publica	VII
6. Sermo primus Synodalis	VIII
7. Nomina Convocatorum	XII
Fidei professio eorum	XVII
8. Congregatio generalis prima	XIX
9. Congregatio generalis secunda	XX
10. Sessio secunda publica	XXI
11. Sermo secundus synodalis	—
12. Constitutio Examinatorum Synodalium, eorumque jura- mentum	XXV
13. Congregatio generalis tertia	XXVIII
14. Sessio tertia publica	—
15. Conclusio Synodi	XXIX
16. Sermo dimissorius	XXX
17. Literae Homagiales ad Suam Sanctitatem	XXXIV
18. Responsum clementissimum Suae Sanctitatis	XXXV

DECRETA SYNODALIA.

**Titulus I. De iis, quae ad Fidem Catholicam, et Mores
pertinent.**

§. 1. De Fide christiano-catholica

1

	Pagina.
§. 2. De Fidei Professione	4
Qui obligantur eam elicere?	5
§. 3. De Morum corruptione, et vitiis increcentibus	—

Titulus II. De Sacramentis.

§. 1. De Sacramentis in genere	8
§. 2. De Baptismo	11
§. 3. De Confirmatione	13
§. 4. De Eucharistia; speciatim	15
De Parvorum prima Communione	19
§. 5. De ss. Missae Sacrificio; speciatim	21
De Confoederatione Suffragiorum Communionis	25
De Stipendiis Sacrorum manualibus	26
De dote Sacrorum Fundatorum	27
§. 6. De Sacramento Poenitentiae	28
§. 7. De Sacramento Extremae Unctionis	32
§. 8. De Sacramento Ordinis	33
§. 9. De Sacramento Matrimonii; speciatim	35
De Dispensationibus	39

Titulus III. De Cultu Divino.

§. 1. De cultu divino publico	40
§. 2. De verbi divini praedicatione	47
§. 3. De Catechesi	49

Titulus IV. De mediis excitandi, et fovendi inter fideles catholicum sensum, pietatem, et charitatem christianam.

§. 1. De s. Ecclesiae disciplina, aliisque piis operibus	53
De Confraternitatibus	56
§. 2. De Cantu, et Musica in Ecclesia	58


Titulus V. De Personis Ecclesiasticis, et eorum Officiis.

§. 1. De Capitulo Cathedrali, et Canonicis	60
--	----

	Pagina.
§. 2. De Vice-Archi-Diaconis	62
De facultatibus eorum	69
§. 3. De Parochis, et variis eorum Officiis	70
De Congregationibus districtualibus	71
§. 4. De Cooperatoribus, aliisque Presbyteris dioecesanis, eorumque officiis; speciatim	74
De Examine Synodal	75
De Veste ecclesiastica	76
§. 5. De Regularibus, et eorum obligatione	77

APPENDIX.

Nrus I. Explanatio Casuum Reservatorum	81
Nrus II. Normativum Administrationis sacri Ecclesiarum peculii	90
Nrus III. Festa abrogata, quibus Parochus pro populo celebrare debet	99
Nrus IV. Statutum divisionis Proventuum, inter Antecessorem et Successorem, nec non pro tempore constitutum Administratorem	100
Nrus V. Constitutio de Examine Synodali	103



ACTA SYNODI DIOECESANAE QUINQUE-ECCLESIENSIS.

ACTA PRAEVIA.

1. Indictio celebranda Synodi Dioecesanae in Ecclesia Cathedrali Quinque-Ecclesiensi.

Georgius Girk Dei Miseratione, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Saceratissimae Caesareae, et Regio-Apostolicae Majestatis Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus.

Venerabilibus Fratribus, Dilectisque in Christo Filiis, Cathedralis Ecclesiae Nostrae Capitulo, universoque Clero saeculari et regulari Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Salutem in Domino !

Synodorum Dioecesanarum frequentationem, magnis Summorum Pontificum, Conciliorum, et Episcoporum laudibus celebratam, sed prout alibi passim a longo tempore, ita in hac nostra Dioecesi ob temporum adjuncta a semialtero seculo intermissam, iam non duximus amplius procrastinandam.

Quare ut Decreto sacro-sancti Concilii Tridentini Sess. XXIV. Cap. 2. de Reform. prompte respondeamus, et Concilii Provincialis anno 1858. Strigoni celebrati, ac a Sanctissimo Domino Nostro PIO IX. Summo Pontifice die 31-a Januarii anno 1859. confirmati, Statuta et Decreta in Dioecesi, cui, e miseratione divina praesumus, consveta forma publicentur, adjunctis et indigentibus eius accommodentur ac corroborentur, aliaque, quae ad promovendam maiorem Dei glo-

riam, augendum Religionis cultum, promovendam fidelium salutem, ad maius denique Dioecesis huius emolumentum conferre possunt, constituentur: favente Divina Gratia Synodus nostram Dioecesanam, anni currentis, post Dominicam XIV. Pentecostes feria tertia, quarta, et quinta, in diem 1-am, 2-am, et 3-am Septembbris incidentibus, in Ecclesia Nostra Cathedrali habendam, et celebrandam indicimus, et indictam praesentibus declaramus.

Quoniam vero in promptu non habemus, omnes, qui de iure vel ex consuetudine, juxta Benedictum XIV. de Synodo Dioec. Libr. 3. Cap. 1. et seqq. interesse tenentur, ad eam evocare, ne interea Fidelibus in tam vasta Dioecesi spiritualia ministeria desint; sed et Sacra Sedes Apostolica Rescripto S. Congregationis Concilii dto 11-ae Junii 1860. concessa celebranda Synodi facultate, enunciaverit, ut ad Synodum hanc vocari debeant singuli parochi decanales, seu districtuales dumtaxat, contrariai quibuscunque minime obstantibus: idcirco convocamus, et Synodo huic interesse volumus ac statuimus Venerabile Capitulum Cathedrale, Canonicosque omnes actuales et honorarios, sive in corpore, sive per duos pluresve Deputatos; — Abbates et Praepositos curam animarum in Dioecesi exercentes; — Abbatem Cisterciensem; — et Provincialem Superiori Ordinis S. Francisci Provinciae S. Ladislai Regis, S. Joannis a Capistrano, et Marianae, item Ord. S. Joannis de Deo Provinciae Immaculatae Genitricis; — Vice-Archi-Diaconos omnes Districtuales cum Surrogatis; — Parochum interioris Civitatis Quinque-Ecclesiensis, item suburbii Budensis, et Administratorem suburbii Szigetani, velut qui sine detrimento suorum fidelium facile Synodo intervenire possunt; demum duos S. Theologiae Professores in Universitate Pesthensi, qua Dioecesos istius sacerdotes, prout et duos seniores Professores eiusdem Theologiae in gremiali Lyceo Episcopali, nec non Directorem huiatis Gymnasii Episcopalis cum uno Professore.

Quos proinde omnes ad Synodum futuram per praesentes Literas evocamus, ac virtute obedientiae cogimus, nisi legitime excusat, et ob gravia momenta excusationum ab obligatione praevie, per Nos, soluti fuerint.

Quum vero sine Deo nihil possimus, et sufficientia nostra ex Deo sit: insuper edicimus, ut statim a Literarum praesentium per-

ceptione usque absolutam Synodum, omnes et singuli Sacerdotes orationes de Spiritu S. ad Missam quotidie assumant, et diebus Dominicis et Festis post Sacrum tria Pater et Ave cum populo fidei devote persolvant. Paterne quoque provocamus omnes Dioecesos huius Sacerdotes, ut tam ipsi ferventer ad Deum preces fundant, quam et populum fidelem de celebranda hac Synodo ex s. ambone edocendo zelose excitent, quatenus enixis precibus, et bonis operibus adjutorium a Patre luminum Nobis impetrant, ut synodales tractationes feliciter decurrant, et prospere finiantur, ad divini Cultus augmentum, in laudem Domini nostri Jesu Christi, in honorem Imm. B. Mariae Virginis, ad aedificationem quoque nostram, et totius huius Dioecesis utilitatem. Datum Quinque-Ecclesiis festo S. Jacobi Apost. anno Domini millesimo, octingentesimo sexagesimo tertio.

2. Edictum Valvale de convocata Synodo Dioecesana Quinque-Ecclesiensi.

Georgius Girk Dei Miseratione, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Sacratissimae Caesareae, et Regio-Apostolicae Majestatis Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus.

Pateat Universis: Nos ad majorem Dei Omnipotentis gloriam promovendam, ad sanctae matris Ecclesiae honorem augendum, et ad dilectorum in Christo Nobis devotorum Fidelium salutem, ac ad magis ipsius almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis bonum promovendum, Synodi Dioecesanae celebrationem in ferias tertiam, quartam, quintam, post Dominicam XIV. Pentecostes, seu in dies 1-m, 2-m, 3-m Septembbris anni currentis 1863. in Cathedrali Nostra Ecclesia Quinque-Ecclesiensi indixisse, indictamque publicasse. Quapropter vos omnes et singulos, ad quos canonica Nostra Evocatio directa est, Patentibus his monemus et hortamur in Domino, ac vobis, et vestrum singulis, virtute sanctae obedientiae praecipiendo committimus et mandamus: quatenus vos ad eandem Synodum vosmet praeparare, et secundum exigentiam status et dignitatis vestrae, in habitu praescripto juxta

antiquam et laudabilem consuetudinem, in Synodo observari semper solitam, celebrationi eiusdem Synodi interesse debeatis. Ut autem praesens Edictum ad notitiam omnium et singulorum, ubilibet existentium, certius pervenire possit: praesentes Literas Nostras in Valva praefatae Ecclesiae Nostrae Cathedralis affigi, et extendi jussimus et fecimus, ac ibidem permanere mandavimus. Datum Quinque-Ecclesiis festo S. Ignatii Loyolae, anno salutis millesimo, octingentesimo, sexagesimo tertio.

3. Congregatio Praeliminaris.

Pridie apertoris Synodi, seu 31-a Augusti hora $\frac{3}{4}$ pro 4-a meridie, omnes qui ex convocatione convenerant, in oecu majori Residentiae Episcopalis per Sigismundum Daróczy Praelatum, Canonicum Lectorem (absentibus ob infirmitatem tam Vicario Generali et Episcopo titulari Josepho Král, quam Praeposito Majori Capitulari Josepho Kelemen) accomoda oratione Episcopo praesentati sunt: qua observantia et reverentia benigne excepta, mox celebrata est **praeliminaris Congregatio generalis**, in qua Synodales Convocati locum suum ita occupabant, ut ad latus Episcopi utrinque primi sederint Canonici Actuales et Honorarii, hos exceperint Abbes et Praepositi saeculares, hos Superiores Ordinum Religiosorum, istos Vice-Archi-Diaconi Districtuales, ac demum Parochi, Theologi, et duo Professores Lycei Episcopalis, nec non Director Gymnasi gremialis cum socio Professore. Episcopus salutatis brevi dictione praesentibus, de aperienda in crastinum Synodo, eiusque scopo ac ordine, aliquisque in ea servandis, cunetos commonefecit, unave ordinavit, ut totus complexus rerum in hac Synodo decernendarum in tres partes divisus, primo per **Commissiones** exhibe exmittendas in Congregationibus particularibus, dein vero compertis harum sensis, in Congregationibus generalibus revideatur ac pertractetur, et sic demum cuncta probata et stabilita in publicis Sessionibus per partes publicentur. Dictae Commissiones in domo respectivi Praesidis earum, — Congregationes generales in oecu Residentiae Episcopalis, Sessiones vero publicae in Ecclesia Cathedrali celebrari ordinabantur. Commissiones itaque constituae sunt sequentes:

Commissio Prima

Quoad Res Fidei et Morum.

Praeses : Sigismundus Daróczy, Praelatus, Canon. Lector.
 Assessores : Josephus Jónás, Abbas Canonicus Archi-Diaconus.
 Paulus Gottliebovics, Praep. Can. Archi-Diac.
 Emericus Jozipovis, Abbas, Can. Hon. et Par.
 Casparus Schneider, Canonicus Honorarius.
 Franciscus Sal. Csáky, Canonicus Honorarius.
 Antonius Rezutsek, Abbas S. Ord. Cistere.
 Franciscus Taglieber, Abbas Parochus.
 Joannes Szépe, VADiaconus Parochus.
 Joannes Szita, VADiaconus Parochus.
 Ignatius Szigvart, VADiaconus Parochus.
 Alexander Árvay, VADiaconus Parochus.
 Franciscus Laubhaimer, Theolog.) una Notarii.
 Joannes Lechner, ")
 Carolus Konner, Professor.
 Otho Siakovics, Theologus Ord. S. Francise.

Commissio Secunda

Quoad Sacraenta et Cultum Divinum Publicum et Privatum.

Praeses : Michael Vörös, Abbas, Custos Canonicus.
 Assessores : Franciscus Sláby, Canonicus Theologus.
 Georgius Gruber, Canonicus Honorarius Par.
 Georgius Vlasic, Canon. Honor. Par.
 Josephus Pécsy, Praep. VADiaconus Par.
 Antonius Kóbor, Praep. VADiaconus Par.
 Antonius Dobszay, Praepos. Parochus.
 Landulphus Matkovits, Provincialis.
 Emericus Berketz, VADiaconus Parochus.
 Joannes Jankó, VADiaconus Parochus.
 Ladislaus Horváth, VADiaconus Parochus.
 Michael Németh, VADiaconus Parochus.

Alexius Kubinyi, VADiaconus Parochus.
 Aloysius Schmidt, Scholar. Insp. Par.
 Josephus Hajnovics, Schol. Insp. Par.) una Notarii.
 Joannes Pollák, Theologus)
 Simon Szömörics, Administrator.

Commissio Tertia

Quoad Res Disciplinares.

Praeses: Michael Virág, Abbas Canonicus.
 Assessores: Jacobus Klivényi, Canon. Parochus.
 res: Gabriel Gráger, Praep. VAD. et Parochus.
 Carolus Fesztl, Praep. Super. Schol. Direct.
 Carolus Gyenis, Praepositus Parochus.
 ✗ Cyriacus Piry, Provincialis.
 Franciscus Horváth, VAD. Parochus.
 Leopoldus Sághy, VAD. Parochus.
 Mathias Moreau, VAD. Parochus.
 Aloysius Girk, VAD. Parochus.
 Laurentius Plitzner, VAD. Parochus.
 Andreas Zsuljevics, VAD. Parochus.
 Ignatius Hölbling, VAD. Parochus.
 Gustavus Pucher, Parochus.
 Josephus Baan, Theologus) una Notarii.
 Emericus Kajdi, Director)

Deinde Ministri Synodales sunt designati sequentes:

- a) Promotores: (Michael Virág) Canonici.
 b) Secretarii: (Franciscus Troll, Canon. Honor.)
 tarii: (Aloysius Girk, VADiaconus Parochus.)
 c) Judices Querelarum et Examensationum: (Josephus Jónás, Abb. Can. Arch. Diae.)
 (Jacobus Klivényi, Canonicus.)
 (Casparus Schneider, Can. Hon.)
 (Franciscus Sal. Csáky, Can. Hon.)
 (Antonius Kóbor, Praep. V. A. D. Par.)
 d) Notarii: Joannes Pollák, Theologus.

Franciscus Laubhaimer, Theologus.
 Josephus Hajnovics, Schol. Insp. Parochus.
 Joannes Lechner, Theologus.
 Emericus Kajdi, Director.
 e) Lectores: Aloysius Schmidt, Schol. Inspector. Par.
 res: Carolus Konner, Professor.
 Michael Szilvásy et
 Omnes Notarii praerecensi.
 f) Confessarii: Paulus Gottliebovics, Praep. Canon. Arch. Diae.
 sarii: Jacobus Klivényi, Canon. Par.
 Mathias Moreau, VADiaconus Par.
 Emericus Berketz, VADiaconus Par.
 et Omnes Religiosi Convocati.
 g) Magistri: Stephanus Szeifricz.
 Caer. : Michael Szilvásy.

Quibus omnibus et singulis sua munia et agenda designata sunt.
 Tandem postquam Episcopus Omnes patre monisset, ut
 hac adhuc die, vel subsequenti mane sacram Confessionem peragant:
 finaliter ordinavit, ut hac die hora 7-a vespertina fiat pulsus omnium
 campanarum Civitatis per horae quadrantem.

SESSIO PRIMA

Die 1-a Septembris,

dato hora 7-a matutina majori campana signo, Convocati $\frac{1}{2}$ 8-a in
 sacristia Ecclesiae Cathedralis convenerunt, assumptoque superpelliceo,
 stola rubra ac bireto (Canonici et Dignitarii vero Mozetta) $\frac{3}{4}$ pro
 8-a bini et bini sub cruce, quam praetulit clericus, praeeunte Cae-
 remonario, processerunt ad Residentiam, Episcopum ad Ecclesiam
 Cathedralem ducturi. Processerunt vero ita, ut Ductorem Caeremo-
 niarum immediate seuti fuerint Professores, hos Theologi, VADia-
 coni, istos Ordinum Religiosorum Superiores, Praepositi, Abbates,
 demum Canonici.

Sub processione fiebat pulsus Campanarum tam diu, quoad

Episcopus ad portam majorem Ecclesiae Cathedralis pertigit, ubi a prima Dignitate Capituli accepit aquam benedictam, quā se et omnes aspergebat. Sub pulsu organi fiebat deinde ingressus ad Ecclesiam, ubi Episcopus assumptis sacris paramentis celebravit Missam de **Spiritu Sancto**, sub qua fuit Communio Convocatorum, bini et bini accedentes aram, sacram Synaxim e manu Pontificantis acceperunt.

Finito Sacro, Episcopus assumpto Pluviali et Stola rubri coloris, cum Mitra et Pastorali accessit aram inchoavitque **Ordinem ad Synodum**, Convocatis Psalmum 68. „**Salvum me fac Deus**“ alternative recitantibus etc. Terminato hymno : **Veni Creator Spiritus** etc. Episcopus e loco altiori sequentem habuit Allocutionem ad Convocatos :

Venerabiles Fratres et Dilecti in Christo Filii ex universo Dioecesis Nostrae Clero congregati!

Centum quadraginta novem anni effluxerunt, a quo Synodus Diocesana isthic celebrata haud fuit. Magno Nobis est, et magno etiam Vobis gaudio esse credimus Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii, quod Pater misericordiarum, et Deus totius consolacionis concesserit Nobis, ut hunc Conventum in Domino congregare, et habere possimus.

Ea est Ecclesiae supra firmam petram a Christo fundatae proprietas, ut oppugnari quidem, ast expugnari haud possit: Deus siquidem, qui cum ipsa omnibus diebus usque ad consummationem seculi se futurum spopondit, eamque veluti civitatem supra montem ita constituit, ut abscondi nullo unquam tempore queat, dígito omnipotentiae suaē illam defendere, et conservare nunquam desinit. Illa non secus ac navigium quoddam in medio maris fluctuum impulsibus sibi invicem succedentibus agitari quidem, ast mergi, et auxilio coelesti destitui non potest. Cultus et vigor Religionis potest faticere, corpus Ecclesiae calamitatibus conflictari, in morbosum quodammodo statum conjici, pacificis etiam temporibus disciplina ejus labefactari; attamen indita sibi e coelo virtute ex his malis rursus emergere, et mediis e penu propria haustis, quibus a Deo provisa est, iis occurere, omni tempore potuit, et potest. Si semen Evangelii licet dili-

genter sparsum, ob hostilem contrarium influxum, et seductionem, fructum optatum non fert, si sensus Religionis elanguescit, irreligio, indifferentismus, et corruptio morum increscit, aut si ipsi semen Evangelii seminantes segnescunt, et periculoso somno opprimuntur, sieque disciplinac vigor eneretur, et dum custodes dormiunt, ferus aper in agrum Domini irruens sementem depascat : eotum profecto vires omnes colligit et adstringit sancta Dei Ecclesia, ut fides in cordibus hominum potenter reviviscat, inundanti incredulitati, indifferentismo, et morum corruptioni murus opponatur, Pastorum vigilantia et solertia excitetur, disciplina ecclesiastica restauretur, omnibus denique vulneribus sanandis congrua, efficaciae media adhibeantur. Haec vero singulariter et praecipue in moderni temporis adjunctis adhibenda esse, nullum potest esse dubium.

Mala hujus temporis, quo vivimus bene Vobis nota sunt; profecto cum omnibus bonis una mecum vehementer doletis, de tot pestiferis libris, libellis, ephemeredibus, et pagellis, quas virulentus Dei et hominum hostis undequaque evomere non desinit ad mores corrumpendos, ad fidei fundamenta concutienda, et omnia sanctissimae Religionis nostrae Dogmata labefactanda; doletis dum inimici Christianismi, occulte impiorum hominum coetus religioni aequa, ac solio Principum infestissimi, convenientes in unum et conspiratione facta, meditantur inania, dicentes : „**quando morietur, et peribit nomen eius.**“ Acerbo cum dolore intellexistis feroce impetus his nostris temporibus in Catholicismum factos, et in dies hodiendum continuatos, impias machinationes, et attentata Summum Ecclesiae Caput Principatu, et Ditionibus suis spoliandi, ut hac ratione civili potestati Usurpatoris Italiae Regis subditus, et muneri suo in tota Ecclesia respondere non valens, via sternatur ad Nationales Ecclesias, et Schismata introducenda; irremissos porro assultus, technas, cavillationes et conjecta convicia, in omnia, quae Catholicismum sapiunt, quibus per Europam ubique, verbo, scriptis, publicis consultationibus, et occultis instigationibus animos populorum a catholica veritate avertere, et seducere, inimici nostri non verentur. Ingemiscitis ad miserandam stragem, quam persecutes, et atrocissima bella in pluribus regionibus, rebus catholicis intulerunt, ubi Pastores abacti, incarcerati, aut in fugam acti, greges dispersi, et seductioni expositi sunt;

ubi bona Ecclesiae in fiscum redacta, Ordines religiosi suppressi, possessionibus spoliati, claustra et templa in usus profanos conversa, innumerabilis demum multitudo hominum trucidata, mutilata, incarcera-ta, et ad incitas redacta est.

Inter tot, tantaque mala, quorum duratio et exitus mortalium oculis absecunda sunt, quaeve tristissima consecaria in longum tempus post se trahent, quid mirum, quod Ecclesia non intermittat irremisse ad Deum clamare, ut haec Ecclesiae sedetur procella, populis alma reddatur pax, et tranquillitas, Religioni restituatur honor et cultus, ast una prospiciat etiam de remediis, quibus ad tot vulnera sananda, aut lenienda utiliter uti possit? Itaque unum ex his, et valde efficax, quasi ex divina inspiratione esse judicavit diu jam intermissam Synodorum Provincialium et Dioecesanarum celebrationem, quarum frequentationem gloriose Ecclesiam Christi gubernans **Pius IX**-us Pontifex in sua Epistola doto 17-ae Martii 1856. ad Episcopos Viennae congregatos graviter inculcavit, et speciatim relate ad Conventus Nostros ait: „**Nec dissimilem diligentiam impendite in Dioecesanis Synodis juxta Sacrorum Canonum normam celebrandis, ea praecipue statuentes, quae ad majus ejusque Vestrae Dioecesis bonum spectare pro Vestra prudenter duxeritis.**“

Neque dubium! opportet profecto ad reparanda damna, quae rei christiano-catholicae injuria temporum illata sunt, et inferri incessanter parantur, ut nos Dilectissimi in Christo Fratres et Filii! invicem, et cum Summo Ecclesiae Capite arctissime juncti, ad Deo serviendum, et obeunda munera cuique nostrum demandata promptiores simus, nostra in Deum pietas ferventior, odor nostrarum virtutum fragrantior, custodia gregis nobis concretiti ab erroribus, venenatis pascuis, et seductione vigilantior, zelus, et dexteritas nostra in tutandis veritatibus divinae Religionis, et retundendis telis adversariorum expeditior sit!

Quod autem ad haec cuncta plurimum conferre valeant Syndici tam Provinciales, quam Dioecesanae, dubitari nequit; cum in his et saluberrimae Constitutiones in hunc finem ferri consueverint, et amplissimam occasionem suppeditent, Operarios in vinea Domini ad sanctum fervorem excitandi et animandi, ut in fidelium salute pro-

curanda, Ecclesiae causa tuenda, vitiis extirpandis, omnibusque muneris sui partibus obeundis, quam solertissimam navent operam, et concordissimis animis id ipsum dicant omnes, ac perfecti sint in eodem sensu, et in eadem sententia, nec non solliciti sint gregis sui fiduciam tenere, et cum omni humilitate ac mansuetudine servare unitatem in vinculo pacis.

Ita sane est Fratres et Filii in Christo Dilectissimi! opus est, ut arctius uniamur, et zelus noster ardeat pro domo Dei. Tepiditate et oscitantia mundum in maligno positum non convertemus, animos hominum a terrenis ad coelestia non adtrahemus, nisi ipsi pedem extra mundum fixerimus, id est mundum et mundana minus dilexerimus! — Legimus in sacris paginis Veteris Foederis, dum sub impi Rege Antiocho, populus Izraeliticus a veri Dei cultu jam ad idolatriam deficeret, surrexisse Mathathiam, et exclamasse voce magna in Civate, dicens: „**Omnis qui zelum habet legis exeat post me . . . et fugit ipse, et filii ejus in montes . . . et omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, et collegerunt exercitum, et pugnaverunt, salvaruntque gentem suam, legem, et civitatem.**“ — Sic opportet fieri nunc, dum facies Ecclesiae obscurari pergit, mores populi in deterius versi sunt, et disciplina relaxata est; — ut nimirum quibus Religio et Ecclesia Christi cordi est, prout nobis imprimis cordi esse debet, exurgent et unitis viribus contra spiritum nequam mundi pugnant, nutantibus rebus humeros supponant, verboque, exemplo, ac sudore suo rem Religionis et Disciplinae restaurent.

Tempus est Fratres, et Filii Dilectissimi, ut soporem ex oculis excutiamus! — En hostes Divinae Religionis nostrae, multitudine, audacia, et furore accreverunt, castra eorum in dies plures sequuntur; necesse est, ut armaturam sumamus, et acie bene formata et instructa eis occuramus. Causam Dei gerimus, et fortiter pugnando Ejus auxilio freti, et gratia suffulti, tenebras irreligionis, immoralitatis, et indifferentismi fugabimus, multos illuminabimus, et ad viam salutis reducemos, quod ut Deus Pater misericordiarum, et totius consolationis concedere dignetur, suppliciter petimus et oramus.

Allocutione hac finita **Promotor** institut, ut nomina omnium, qui
Synodo interesse debent, legantur:

Reverendissime in Christo Pater! Sanctissimus Do-
minus Dominus Noster **Pius Papa IX.** Cujus laus est in omni
Ecclisia Sancta Dei, virtute Benigni Rescripti S. Congregationis
Concilii dto 11-ae Junii 1860. concessâ Synodi celebrandae facultate
statuit, quinam Synodo huic interesse debeant. Quamobrem ego humiliis
servus Dei, Promotor hujus Synodi, nomina eorum, qui per Encyclicas
festo Sancti Jacobi Apostoli dimissas legitime convocati sunt, publice
perlegi humiliter peto, et absentes diligenter notari oro, ut si justam
excusationem non praetulerint, debitiss in eos poenis animadvertisatur.

Episcopo respondente: „**Ita fieri volumus et mandamus**“
Secretarius legit :

Nomina Convocatorum ad Synodum Dioecesanam, anno Do-
mini 1863-o diebus 1-a, 2-a, 3-a Septembbris, in Ecclisia Cathedrali
Quinque-Ecclesiensi celebrandam.

**Reverendissimus Praeses in Christo Pater Georgius, Dei et
Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Eccle-
siensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theo-
logiae Doctor Collegiatus.**

Josephus Kelemen, Abbas S. Mauritii de Bóth, Cathedr. Eccl.
Quinque-Eccles., et Capituli Praepositus Major et Canonici-
cus, Sacerdos Jubilaris.

Sigismundus Daróczy, Suae Sanctitatis **Pii Papae IX.** Praelatus
Domesticus, Abbas S. Helenae de Földvár, Praepositus S.
Joannis de Castro Quinque-Eccles., Cathedr. Eccl. Quinque
Eccles. Lector Canonicus.

Josephus Král, Electus Episcopus Scopiensis, Abbas B. Mariae V.
de Tormova, Cathedr. Ecclesiae Quinque-Eccles. Cantor
Canonicus, Suae Excellentiae Eppalis Vicarius, et Causa-
rum Auditor Generalis, Pro-Director Studii Theologici, Or-
phanotrophii Cathedr. Eccles. Regens, Sacerdos Jubilaris
in annum tertium.

Michael Vörös, Abbas S. Crucis de Mágocs, Cathedr. Eccles. Quinque-

Eccles. Custos Canonicus, SS. Theologiae Doctor, Praeses
Examinatorij Pro-Synodalis.

Josephus Jónás, Abbas S. Abraham de Valle Ebron, Cathedr. Eccles.
Quinque-Eccles. Canonicus Archi-Diaconus Cathedralis, Dioe-
cesanus Scholar. Inspector, Membrum Jurisdict. Scholar.
dioecesanae, et Ins. Ord. Caes. Austr. Francisci Josephi
Eques.

Paulus Gottliebovics, Praep. S. Nicolai de Landek, Cathedralis
Eccles. Quinque-Eccles. Canonicus, Archi-Diaconus Tolnen-
sis, Sacerdos Jubilaris in annum sextum.

Michael Virág, Abbas B. Mariae V. de Ból, Cathedr. Eccles. Quinque-
Eccles. Canonicus, SS. Theologiae Doctor, Deputationis Fun-
dationalis Praeses, et Claustr. Monialium Nostrae Dominae
Curator.

Jacobus Klivényi, Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Cano-
nicus Poenitentiarius, Parochus Cathedr., VADiaconus Distr.
Quinque-Eccles., Administrator Fisci Pensionalis Instituti Lu-
direct., et Membrum Jurisd. dioeces. scholaris.

Francisc. de Paula Sláby, Cathedr. Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis. Ca-
nonicus Theologus, Seminarii Cleri Junioris et Mariani, item
Domus Deficientium Rector, Professionis Religiosae ac Vinculi
matr. Defensor.

Antonius Szalay, Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis. Canoni-
cus, Fiscus Consistorialis.

Georgius Gruber, Cathedr. Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Canonicus
Honorarius, Em. VADiaconus, Parochus Magyar-Székensis,
Sacerdos Jubilaris in annum sextum.

Emericus Jozipovics, Abbas S. Nicolai de Madoca, Cathedr. Eccl-
esiae Quinque-Ecclesiensis Canonicus Honorarius, VADiacon-
nus Districtus Valpóviensis, et Parcohus Miholjacensis.

Georgius Vlasics, Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Canoni-
cus Honorarius, Em. VADiaconus Distr. Bolyensis, Parochus
Egerághensis, Sacerdos Jubilaris.

Casparus Schneider, Cathedr. Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Cano-
nicus Honorarius, Cassae piarum Fundationum Administrator,
AA. LL. et Philos. Doctor.

Franciscus Sales. Csáky, Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Canonicus Honorarius, et Orphanotrophii Cathedr. Ecclesiae Praefectus.

Franciscus de Paula Troll, Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Honorarius, et Suae Excellentiae Episcopalis a Latere Canonicus, Cancellariae Episcopalis Director, Advocatus Pauperum, et Jurisdictionis dioeces. Scholaris Membrum.

Ignatius Thomaer, Praepositus S. Nicolai extra Muros Albae-Regalis, Emeritus VADiaconus Districtuum Gödre, Mágocs, et Szegzár, Parochus Szegzárdensis.

Gabriel Gráger, Praepositus S. Eustachii de Csuth, VADiaconus Districtus Mohácsensis, Parochus Ecclesiae S. Michaelis in Mohács, Cruce aurea de piis Meritis cum Corona decoratus.

Carolus Fesztl, Praepositus S. Augustini de Insula S. Lazari, Superior Scholarum Districtus Buda-Pestani Director, Consiliarius Regius, AA. LL. et Philosophiae Doctor, Ins. Ord. Coronae Ferreae tertiae Classis Eques.

Josephus Pécsy, Praepositus S. Huberti de Grába seu Garáb, VADiaconus Distr. Szegzárdensis, Parochus Tolnensis, Cruce Aurea de piis meritis cum corona decoratus.

Antonius Dobszay, Praepositus de Ódon, Parochus Eccl. B. Mariae V. Purif. Quinque-Ecclesiensis, S. Sedis Assessor. AA. LL. Philosophiae Doctor.

Franciscus Taglieber, Abbas B. Mariae V. de Abrám, seu Ábrahám, Parochus Valpóiensis.

Antonius Kébor, Praepositus de Thoub, VADiaconus Distr. Völgy-ségenensis, Parochus Oppidi Tevelensis.

Carolus Gyenis, Praepositus de Krompach prope Richnyó, Parochus Oppidi Högyészensis.

Antonius Rezutsek, Abbatiarum unitarum B. Mariae V. de Zircz, Pilis et Pásztó Abbas Infulatus, Eruditae Academiae Quiritum et Instituti Geologici Caes. Regii Imperialis Viennen. Membrum.

Landulphus Matkovics, Minister Provincialis Ordinis S. Francisci Provinciae S. Ladislai Regis.

Cyriacus Piry, Minister Provincialis Ordinis S. Francisci Provinciae Marianae.

Privatus Gelencsér, Provincialis Ordinis S. Joannis de Deo, Provinciae Immaculatae Mariae Virginis.

Otho Siakovics, Deputatus Ministri Provincialis Ord. S. Francisci Provinciae S. Joannis Capistrani.

Andreas Zsuljevics, VADiaconus Districtus Némethiensis, et Parochus Keszüensis.

Joannes Szépe, VADiaconus Districtus Szent-Lőricziensis, et Parochus Bicsérdensis.

Mathias Moreau, VADiaconus Districtus Siklósiensis, et Parochus Német-Márokensis.

Alexander Árvay, VADiaconus Districtus Dardensis, et Parochus Oppidi cognominis.

Leopoldus Sághy, VADiaconus Districtus Baranyavárensis, et Parochus Baánensis, S. Sedis Assessor.

Laurentius Placzner, VADiaconus District. Mária-Kéméndensis, et Parochus Ecclesiae thaumaturgae Mária-Kéménd, AA. LL. et Philosophiae Doctor.

Alexius Kubinyi, VADiaconus Districtus Bólyensis, et Parochus Oppidi cognominis.

Franciscus Borg. Horváth, VADiaconus Districtus Pécsváradensis, et Parochus Berkesdensis.

Joannes Jankó, VADiaconus Districtus Mágocsensis, et Parochus Kárászensis.

Aloysius Schmidt, Surrogatus VADiaconus Districtus Mágocsensis, et Parochus Szászvárensis.

Emericus Berketz, VADiaconus Districtus Gödrensis, et Parochus Oppidi cognominis.

Ignatius Hölbling, VADiaconus Districtus Szigetváriensis, et Parochus Oppidi cognominis, S. Sedis Assessor.

Josephus Hajnovics, Surrogatus VADiaconus Districtus Valpóiensis, SS. Theologiae Doctor, Parochus Podgajcensis.

Joannes Szita, VADiaconus Districtus Bonyhádiensis, et Parochus Czikóensis.

Ladislaus Horváth, VADiaconus Districtus Dombóvárensis, et Parochus Szakcsensis, AA. LL. et Philosophiae Doctor.

Michaël Németh, VADiaconus Districtus Értényensis, et Parochus Szántóensis.
Ignatius Szigvart, VADiaconus Districtus Simontornyensis, et Parochus Oppidi Tamásiensis.
Aloysius Girk, VADiaconus Districtus Duna-Földváriensis, et Parochus Oppidi Pakensis, S. Sedis Assessor.
Gustavus Pucher, Parochus Ecclesiae ad S. Augustinum Quinque-Ecclesiis, S. Sedis Assessor.
Simon Szömörics, Parochiae ad S. Franciscum Administr. Quinque-Ecclesiis.
Joannes Pollák, SS. Theologiae Doctor, et Professor in Universitate Pestana, S. Sedis Assessor.
Franciscus Laubhaimer, SS. Theologiae Doctor, et Professor in Universitate Pestana.
Josephus Baán, SS. Theologiae et Philosophiae Doctor, Professor Studii Biblici, Senior Facultatis Theologicae Quinque-Ecclesiensis, S. Sedis Assessor, et Capellanus Aulicus SSmae Suae Majestatis ad Honores.
Joannes Lechner, Pro-Senior Facultatis Theologicae Quinque-Ecclesiensis, SS. Theologiae Doctor et Professor Publ. Ord.
Emericus Kajdi, Philosophiae Doctor et Director Gymnasii Quinque-Ecclesiensis, ac Professor Publ. Ord.
Carolus Konner, Professor Lycei Episcopalis Quinque-Ecclesiensis.

Tum **Promotor** institit, ut Synodus pro inchoata declaretur.

Reverendissime in Christo Pater! Semialterum jam evolvit seculum, ex quo in Cathedrali hac Ecclesia ultima Synodus Dioecesana fuerat celebrata. Unde Vobis Reverendissime in Christo Pater! totique Clero seculari et regulari, ac universo fidei populo Almæ Dioecesis Quinque-Ecclesiensis nihil magis in votis erat, quam ut voci paternæ Ecclesiam Dei feliciter gubernantis Sanctissimi Domini Domini Nostri **Pii** Papae Noni, Romæ apud S. Petrum die 5-a Novembris 1855. prolocutæ quamprimum respondeatur. Ecce vero nunc bonus in misericordia sua Deus exoptatum hoc temporis momentum clementer adduxit: unde ego Vestra Gratia indignus licet

hujus Synodi Promotor supplex oro: ut pro exuberanti omnium gaudio et solatio Synodum hanc aperire dignemini.

Episcopo respondentे: „**Ita decernimus et mandamus**,“ **Secretarius** alta voce legit:

In Nomine Sanctissimæ ac Individua Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Nos **Georgius Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis**, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Thelogiae Doctor Collegiatus, ad Dei Omnipotentis gloriam, ac Beatissimæ Virginis sine labo originali conceptæ, Sancti Petri Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis hujus Patroni, Beati Mauri Episcopi Quinque-Ecclesiensis, laudem et honorem, praesentem Synodum Dioecesanam incipimus, et pro incepta declaramus. Concedat Omnipotens Deus, pro sua misericordia, precibusque Virginis Beatissimæ, ac eorundem Sanctorum, ut quemadmodum humiliter suspiramus, ac fiducialiter petimus, ex hoc coetu nostro lumen et Spiritum Gratiae omnes reportemus, ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda, et ad pie sancte et religiose vivendum. Ita tribuat nobis Omnipotens Deus, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Dein institit **Promotor**, ut Fidei Professionem emittant omnes Convocati:

Reverendissime in Christo Pater! Sacro-sanctum Concilium Tridentinum disponit, ut omnes, qui Synodo interesse debent, Fidei Professionem eliciant, prout illa a Pio IV. Pontifice Maximo praescripta est. Ideo ego hujus Synodi Promotor humiliter peto, et oro sanctionem illam legi, et cohaerenter ei omnia, quae praestanda sunt, fideliter praestari.

Episcopo respondentе: „**Ita fieri decernimus et mandamus**,“ mox **Secretarius** legit sequens Decretum:

A Sacro-Sancta Tridentina Synodo illud gravissime sancitum est, ut quicunque ad Dioecesanam Synodum convenire debent, omnes in ipsa Synodo professionem Fidei faciant. — Verba Tridentini Concilii sunt haec (Sess. 25. c. 2.) „Praecipit igitur Sancta Synodus Patriarchis, Primitibus, Archi-Epis copis, Episcopis, et omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent,

ut ipsa prima Synodo Provinciali post finem praesentis Concilii habenda, et omnia et singula, quae a s. Synodo definita et statuta sunt, palam recipient; nec non veram obedientiam Summo Pontifici spondeant, et profiteantur; simulque haereses omnes a sacris Canonibus, generalibus Conciliis, praesertimque ab hac eadem Synodo damnatas publice detestentur, et anathematizent. Et, qui in Synodo Dioecesana convenire debent, idem ut supra, in ea Synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur, facient et observent: alias secundum formam s. Canonum puniantur.“

Accedant igitur omnes, atque dictam Professionem ex formula praescripta a Pio Quarto emitant ante Reverendissimum in Christo Patrem Episcopum.

Mox omnes in semicirculo ante Episcopum consistentes praelegente secundo Synodi Secretario professionem Fidei, juxta formam in Pontificali deponentes, verba postrema bini & bini accedentes Episcopum, librum Evangeliorum in manibus tenentem, extensa supra librum manu, clara et distincta voce protulerunt.

Rursus institit **Promotor**, ut Decreta Concilii Provinciae Strigoniensis legantur et publicentur:

Reverendissime in Christo Pater! Cum Decreta et Statuta Concilii Provinciae Strigoniensis, anno 1858-o Strigoni celebri, ac per Sedem Sacram Apostolicam anno 1859-o confirmati, omnes istius Provinciae Episcopos, omnesque eorum Dioecesanos obstringant, ac ob omnibus quam diligentissime et inviolate servanda sint: hinc ego e Gratia Vestra deputatus Promotor humiliter oro: ut mandare dignetur, quo Constitutiones Provincialis hujus Concilii legantur et pro publicatis et observandis declarentur.

Episcopo respondente: „**Ita fieri volumus et mandamus,**“ Lector perlegit ex Actis Concilii Provinciae Strigoniensis pagina 5-a Literas Sanctitatis Suae **Pii Papae IX.** quae incipiunt: „**Summae quidem voluptati,**“ postea vero **Secretarius** legit Decretum, quo Constitutiones Provincialis Concilii hujus pro publicatis et observandis declarantur:

Georgius, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque - Ecclesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius,

SS. Theologiae Doctor Collegiatus, omnibus et singulis Dioecesis Quinque - Ecclesiensis Sacerdotibus tam Saecularibus quam Regularibus, curam animarum et administrationem Sacramentorum exercentibus, universaeque Almae Dioecesi Quinque-Ecclesiensi annunciamus, significamus et publicamus: magnis laudibus recognita et approbata a Sanctissimo Domino Nostro **Pio Nono Pontifice Maximo**, celebrati anno Domini 1858. Concilii Provincialis Strigoniensis Statuta et Decreta pro sufficienter publicatis, et talibus reputanda et habenda esse, ad quae cuncti, Clerus Populusque, vitam moresque suos componere debeant et teneantur.

Denum **Promotor** institit, ut Sessioni I-ae finis imponatur, et Decretum Indictionis **Sessionis II-ae** publicetur:

Reverendissime in Christo Pater! Quoniam Agenda in Sessione hac ad finem pervenerunt, et tarda jam hora est: idcirco humiliter peto, ut praesenti Sessioni finis imponatur, et Decretum Indictionis Sessionis II-ae publicetur.

Ad quod ab Episcopo concessum, **Secretarius** legit Decretum conclusionis Sessionis I-ae et Indictionis Sessionis II-ae:

Georgius, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque - Ecclesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus, praesenti Sessioni finem imponimus, et continuationem Sessionis in diem 2-am Septembris in Domino indicimus, committentes et mandantes, ut futurae Sessioni omnes intervenire debeatis et teneamini, nec ullus discedat, nisi Synodo conclusa et benedictione obtenta.

His finitis Episcopus ab ara per solemne „**Sit nomen Domini benedictum**“ omnibus benedixit. Tum eo ordine, quo ventum est ad Ecclesiam, fiebat reditus ad Residentiam episcopalem, in cuius oeo majori continuo servata est

Congregatio Generalis Prima.

Post brevem Orationem et invocationem Spiritus Sancti: Praeses Commissionis I-ae **Sigismundus Daróczy**, Praelatus Lector Canonicus, Episcopo reverenter praesentavit resultatum Commissionis **Quoad Res Fidei & Morum**: in cujus nexu ad projectum Com-

missionis, obligatio professionem fidei eliciendi ad plures distincte recensitos extensa est, revisa operata vero perfecta, ac per Episcopum ratihabita sunt cum eo, ut illa in proxima Sessione Synodali publicentur.

Congregatione hac cum gratiarum actione conclusa, omnes Convocati, ordine quo venerunt, ad Sacristiam recesserunt, depositisque ibidem superpelliceo etc. in pace ad suum hospitium pro frugali refectio rediverunt.

A meridie hora 3-a Congregati Synodales Convocati in sacristia, observato eodem ordine, ut mane, superpelliceo, stola rubra ac bireto amicti, processionaliter venerunt ad Residentiam episcopalem, in cuius oeo majori servata est

Congregatio Generalis Secunda.

Post invocationem nimirum Spiritus Sancti et brevem Orationem: Praeses Commissionis II-ac **Michael Vörös**, Custos Canonicus, Episcopo reverenter exhibuit revisa operata Commissionis **Circa Sacra menta et cultum divinum publicum et privatum**: quae itidem perfecta, et nonnullis additis, communis sensu probata, ac per Episcopum ratihabita sunt cum eo, ut operata haec pariter in proxima Sessione Publica instar Statutorum Synodalium perlegantur et publicentur.

Tum proposuit Episcopus quosdam pro Synodalibus Examinatoribus, (vide Decretum in Sessione Secunda.) in quos se consentire Synodus declaravit.

Congregatione hac cum precibus gratiarum actoriis taliter finita, Convocati Synodales ad sacristiam reversi, sacrum amictum ibidem deposuerunt, ac pro nocturna quiete ad sua hospitia recesserunt.

SESSIO SECUNDA.

Die 2-a Septembri.

Eodem tempore modo et ordine, sicut prima die, sub pulsu campanarum deductus est Episcopus ad Ecclesiam Cathedram, ubi **Sigismundus Daróczy**, Praelatus Lector Canonicus, decantavit Sacrum de Requiem pro refrigerio animae 857. Sacerdotum almae Dioecesis hujus, qui ab ultima Synodo pie in Domino obierunt.

Sacro finito, **Episcopus** indutus Pluviali nigro, consuetas ad **Liberia** Orationes absolvit, et postea assumpto amictu coloris rubei, incepit ordinem ad **Synodus diei 2-ae**, Convocatis Psalmum 78-um: „**Deus venerunt gentes**“ alternative recitantibus etc. Terminato hymno: „**Veni Creator Spiritus**“ et Orationibus finitis, processit ad praeparatum sibi locum altiore, ac sequentem allocutionem habuit ad Convocatos:

Venerabiles Fratres et Dilecti in Christo Filii!

Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. — II-o Machab. cap. 12. v. 46.

Mos est, inquit post Gavantum Benedictus XIV. Pontifex Lib. 5-o cap. 1-o §-o 4-o de Synodo Dioecesana, ut in Sessione 2-a unus ex Canonicis Missam solemniter faciat pro Defunctis, cui Episcopus assistit, eaque peracta consuetas orationes recitat pro Defunctis. — Huic mori insistendo, incruentum Missae Sacrificium nunc pie obtulimus pro Episcopis et Sacerdotibus Almae huius Dioeceseos inde a celebrata postrema Synodo seu 1714-o defunctis. Verba citata Scripturae pie meditetur Dilectissimi Fratres et Filii, et quae inde in doctrinam et utilitatem nostram resultant, devote apprehendamus.

Magno nobis solatio esse debet Dilectissimi Filii et Fratres, quod doctrina Ecclesiae Catholicae quoad defunctorum illa plane sit, quae fuit Synagogae Veteris Foederis; dari nimirum locum, in quo animae, quae non absque omni culpa ex hac vita excesserunt, detinentur ad tempus, donec noxas suas expient, easque suffragiis vivorum adjuvari posse. Quamobrem opus haud est hanc Ecclesiae doctrinam Vobis seu demonstrare, seu uberioris explanare: Religio nostra,

et ipsa etiam ratio de ejus veritate nos dubitare haud sinit. Volumus solum hac nostra dictione Vobis in memoriam revocare gravissima illa momenta, quae nos ad ferendam defunctis opem obstrin-gunt, et speciatim ad offerendum hodie sanctissimum Missae Sacrificium pro defunctis Fratribus nostris permoverunt. Momenta haec ex ipsis verbis sacrae Scripturae, quae Orationi Nostrae praemisimus, eruere constituimus. Docent ea primo: sanctam esse cogitationem pro defunctis orare, dein: salubrem esse hanc cogitationem, seu utilem nobis.

Sancta est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur: quia est officium charitatis; quidquid vero ex charitate proficiuntur, sanctum, Deo gratum et acceptum est. Charitas Dilecti Fratres, et Filii nedum finibus orbis terrarum concluditur, sed ipos penetrat Coelos, neque solum cum iis, qui vivunt, nos conjungit, sed vinculum hoc etiam cum vita functis conservat; siquidem nos in communionem adducit non solum beatorum illorum coeli civium, qui exoptatissimo Dei conspectu jam fruuntur, sed etiam animarum earum, quas in carcere lustrico ignis divinae Justitiae purgat. Ut charitas nostra se ad has animas extendat, exposcit non solum, quod eodem nobiscum sanguine Iesu Christi redempta sint, quod ejusdem Ecclesiae filii sint, quam nos Matrem habemus gloriamur, quod demum consortes futurae sint regni coelestis, et pro nobis Deum deprecaturae; sed, quod ad haec rationes adhuc singulares accendant: animae enim ibidem detentae eundem aliquando agrum Domini excoluerunt, quem nos, solum illud, in quo nunc seminamus, sudore suo subegereunt et prepararunt, nostrorum fidelium parentibus, et avis gloriam Dei et verbum vitae praedicarunt; animae hae forsan nobis amicissimae, in nos beneficiae, vel etiam per nos offendae fuerunt, et saltem ex parte etiam propter nos puniuntur.

Nos quidem de Fratribus nostris, qui vita functi sunt, optime confidimus: ast si qui sunt, qui ob peccata non satis in vita expiata a conspectu Dei adhuc arcentur, Ejus justitiae quadam satisfactione tenentur, poenasque acerbas idcirco luunt; an non debet tristis illorum hic status commiserationem nostram excitare, nosque ad eis succurrendum commovere, praecepsim cum precibus, eleemosynis, Missae sacrificio, aliisque piis operibus, tam facili negotio opitulari iis pos-

simus? Profecto omnem naturae et charitatis sensum exueremus, si eis hoc officium subtraheremus. — **Orate pro invicem**, ait Jesus Christus, **ut salvemini**, Deus proinde hanc intercessionem expetit, et eo ipso, quod illam jubeat, candem etiam gratam et acceptam habet. Itaque sancta est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, justumque fuit hodie oblato sacro-sancto Missae Sacrificio Fratrum nostrorum, qui dormierunt, meminisse, et pro iis suffragium hoc tulisse. Respicte quae sumus Domine famulos tuos, qui in te speraverunt, et crediderunt, suscipe clementer preces, et hostiam, quam pro illis Tibi obtulimus, introduc illos in aeterna tabernacula tua, ubi cum introducti fuerint, laudis et gloriae hymnos in aeternum Tibi decantent!

Sed jam, ostendendum est etiam: salubrem esse cogitationem, seu nobis quoque utilem exorare pro defunctis. Absque cunctatione audemus dicere: preces et suffragia illa, quae ad levandas miserias defuctorum Fratrum nostrorum offerimus, non modo illis, verum nobis quoque prodesse plurimum. Si vera est illa Spiritus Sancti sententia: „**Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis;**“ gaudeamus in Domino Dilectissimi, quia novissima aliorum saepius prae oculis habentes, inde vehementer accendimur, quatenus nostrorum quoque novissimorum memores simus, et non peccemus. Ecce breve et incertum tempus nobis concessum est ad operandam salutem, hoc semel neglecto novum non dabitur ad damnum reparandum. Ecce breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar ambulo. Job. 16. v. 23. Sicut rapidi torrentis aquae praecepites ex alto ruunt, et nunquam revertuntur, sed in mare decurrunt, et oppositas moles in abyssum magno devolunt impetu, sic humana tempora celerrime praeterfluent, nunquam redditura, sed continuo rapiuntur in sinum aeternitatis, quae, dum loquor, facta jam est propri. Hora trudit horam, nox diem, et dies noctem, menses et anni practereunt, alii succedunt, et annos aeternos accelerant, neque est in potestate nostra praesens retinere momentum! Propheta clamat: „**Homo vanitati (vapore) similis est, ejusque vitae spatia velut umbra fluunt, et elabuntur.**“ Multi, qui mane surrexerunt, non pervenerunt ad vesperam, alii autem, qui cubitum vesperi concesserunt, non pervene-

runt ad tempus matutinum. Vidistis Fratres Dilectissimi indubie hand paucos, qui dum in flore aetatis essent, et integrerrima sanitate perfruerentur, ex improviso, die, qua non putarunt morte praecipitatos fuisse. An non haec Vobis in mentem venire, et cor penetrare debent, dum pro mortuis Fratribus sacrificatis, et funebria persolvitis, ut parati sitis, cum nesciatis neque diem, neque horam. Jam vero terribilis quoque erit hora mortis, nisi conscientia bona erigat animum, et dicere quadamtenus possimus cum scriptura : „*Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.*“ Tunc aliter apparetur nobis omnia, tunc longissimae etiam vitae dies videbuntur nobis sicut umbra velocissima evanisse; tunc divitiae, opes, honores, et dignitates apparetur nobis vacuae omnino et inanes. Frustra tunc conquereremur de perduto tempore, de ludis et distractionibus, de deliciis et voluptatibus, quoniam perditum tempus amplius non reddit. Quamobrem studeamus Dilecti Fratres mei extremae horae luctam sincera poenitentia praecoccupare, tempestive a malo declinare, et Dominum propitium nobis reddere, ut cohaeredes nos facere dignetur regni gloriae suae. En quantum salutares haec Considerationes, quae continuo se intellectui nostro objiciunt, dum pro defunctis Fratribus oramus, ad sanctificationem et perfectionem nostram conferunt!

Sed ut penitus Vos ea de re convincamus, dicimus dum nos per preces et oblationem hostiae immaculatae operam impendimus, ut animae e poenis purgatorii et abyssi miseriae extrahantur, ac Cœlo citius inferantur, etum etiam nobismet ipsis viam ad salutem facilitamus: numquid enim beatæ illæ animæ gratitudinis erga liberatores suis obliverint? et quidem in illo statu, in quo erga omnes Fratres suos in terris plenæ futurae sunt charitate? O quanta efficacia illæ Deum pro nobis interpellabunt, cuius fruitionem illis acceleravimus! Ah dubitandum non est, illas non minus nobis auxiliaturas esse in coelis, quam nos iis auxiliati fuimus in terris!

Certissimum est ergo divinum eloquium: „*Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*“ Sancta est, quia dum eos suffragijs juvamus nostris, ut a poenis purgatorii liberentur, officium charitatis implemus, et opus Deo gratum facimus. Salubris quoque, seu utilis nobis est, quia illis suc-

currendo nobis quoque plurimum prosimus, et viam nobis ad coelum facilitamus. Concedat misericordissimus Deus utrumque, ut per immaculatam hostiam, precesque, quas hodie pro Fratribus nostris obtulimus, et illi citius in aeterna tabernacula suscipiantur, et ubi introducti fuerint, nos quoque orationibus suis adjuvent, ut in partem ejusdem gloriae cum illis veniamus, et non deserant nos adhuc militantes, pro eo, quod non deseruerimus illos patientes. Amen.

Allocutione hac finita **Promotor** institit: ut Examinatores Synodales nominentur.

Reverendissime in Christo Pater! Sancivit sacro-sancta Tridentina Synodus, ut ip Dioecesana Synodo eligantur Examinatores, qui instituendos in Parochiis vacantibus examinent. Quapropter ego hujus Synodi Promotor humiliter peto, ut dicti Examinatores eo modo, quo praefata sanctione statutum est, elegantur ac deputentur.

Episcopo respondente: „**Ita fieri volumus et mandamus,**“ **Secretarius** legit Decretum:

Georgius, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus: Sacrosancta Tridentina Synodus ita decrevit Sess. 24. Cap. 18-o: „Examinatores autem in Dioecesana Synodo ab Episcopo adminus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur; adveniente vacatione cuiuslibet Ecclesiae, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo Examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eodem, aut alios tres, quos maluerit ex praeditis illis sex eligat. Sint vero hi Examinatores Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares ex Ordine mendicantium, aut etiam Saeculares, qui ex iis videbuntur maxime idonei.“ Tridentinum ergo Decretum volentes exequi, sequentes:

Sigismundum Daróczy, Praelatum Canonicum Lectorem,
Michaelem Vörös, Canonicum Custodem,
Josephum Král, Episcopum, Canonicum Cantorem,
Josephum Jónás, Canonicum Archi-Diaconum,
Paulum Gottliebovics, Canonicum Archi-Diaconum,

Michaelem Virág, Canonicum,
Jacobum Klivényi, Canonicum Poenitentiarium,
Franciscum Sláby, Canonicum Theologum,
Casparum Schneider, Canonicum Honorarium,
Josephum Baan, Theologum,
Joannem Lechner, Theologum,
Gabrielem Gráger, VADiaconum,
Ladislauum Horváth, VADiaconum,
Aloysium Girk, VADiaconum,
Ignatium Hölbling, VADiaconum,
Josephum Hajnovics, Surrog. VADiaconum,
Patrem **Simonem Szömörics**, Religiosum,

quos jam in Congregatione Generali proposuimus, et in quos se consentire Synodus declaravit, in Examinatores Synodales deputamus assumimus, et nominamus.

Tum **Promotor** oravit, ut Examinatores hi Synodales jumentum praestent:

Reverendissime in Christo Pater! Sancivit etiam sacro-sancta Tridentina Synodus, ut deputati ad officium Examinatorum Synodalium jurent de reete implendo munere suo. Quapropter ego deputatus hujus Synodi Promotor humillime peto, ut Reverendissima Dominatio Tua praefatum juramentum a modo nominatis Examinatoribus excipere benigne dignetur.

Episcopo respondente: „**Ita decernimus et mandamus**,“ Secretarius legit Constitutionem Tridentini Concilii:

Georgius, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus: Quoniam sacro-sancta Tridentina Synodus in praecitata Sessione 24-a Cap. 18-o continuative disponit: ut jurent omnes ad s. Dei Evangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus suum executuros, caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiunt: alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurvant; a qua absolvit nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque

antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali (si opus erit) rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint.

Acedant igitur omnes Examinatores Synodales, et jurent: „Ego N. N. Examinatoris officium, quod suscepi, me fideliter et conscientiose, quantum in me est, executurum spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.“ Quod juramentum bini et bini, posita ad librum Evangeliorum dextera, elicuerunt.

Institut rursus **Promotor**, ut legantur et promulgentur Decreta hujus Synodi, in Congregationibus Generalibus jam ratihabita:

Reverendissime in Christo Pater! Ego hujus Synodi Gratia Vestra Promotor, humillime peto, ut mandare dignetur, quo Constitutiones, seu Statuta, quae Eadem Amplitudo Tua in hac Synodo publicare decrevit, legantur et publicentur.

Episcopo respondente: „**Ita decernimus et mandamus**,“ ea mox per extensum a Lectoribus perfecta, et publicata sunt; nempe Statuta: **Quoad res Fidei et Morum**, item: **Quoad Sacra-menta et Cultum Divinum Publicum et Privatum**. (Vide Statuta Synodalia.)

Quibus paelectis institut **Promotor**, ut Sessioni II-ae finis imponatur, et Decretum Indictionis Sessionis III-ae promulgetur:

Reverendissime in Christo Pater! Quoniam Agenda in Sessione hac ad finem pervenerunt, et tarda jam hora est: idcirco humiliter peto, ut praesenti Sessioni finis imponatur, et Decretum Indictionis Sessionis III-ae publicetur.

Episcopo annuente, **Secretarius** legit Decretum:

Georgius, Dei Miseratione, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Sacratissimae Caesareae, et Regio-Apostolicae Majestatis Actualis Intimus Satus Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus: praesenti Sessioni finem imponimus, et continuationem Sessionis in diem 3-am Septemboris in Domino indicimus, committentes, et mandantes omnibus et singulis,

ut futurae Sessioni interveniant, nec ullus audeat discedere, nisi Synodo conclusa, et benedictione obtentā.

His finitis Episcopus surgens benedixit ab Ara omnibus solemniter ut heri, moxque rediit Processio ad Residentiam episcopalem, ubi continuo servata est

Congregatio Generalis Tertia.

Post invocationem Spiritus Sancti, et brevem orationem, Praeses Commissionis III-ae, **Michael Virág** Canonicus, Episcopo reverenter praesentavit revisa operata Commissionis **Quoad Res disciplinares**: in cuius sequelam ad Commissionis petitum, operatis nonnulla addita et adjecta sunt, perfectisque mox omnibus, eadem communisensu alacriter suscepta, et per Episcopum confirmata fuerunt cum eo, ut operata haec pariter instar Synodalium Decretorum in proxima Sessione Publica perlegantur, et publicentur.

Congregatione hac finita, Synodales Convocati ut heri ad sua hospitia concesserunt.

SESSIO TERTIA.

Die 3-ia Septembris.

Eodem tempore, modo et ordine, sicut prima et secunda die, sub pulsu campanarum deductus est Episcopus ad Ecclesiam Cathedralem, ubi **Michael Vörös** Custos Canonicus cantavit Sacrum de **SSma Trinitate**, addita sub una conclusione Oratione „**Deus cuius misericordiae**.“ Finito Sacro Episcopus paratus, ut heri, ante Aram incepit ordinem ad **Synodus diei III-ae**, Convocatis Psalmum 68-um: „**Salvum me fac Deus**“ alternative recitantibus. Terminato hymno: „**Veni Creator Spiritus**“ et Orationibus finitis, Episcopus consedit in loco suo eminentiori, et ad instantiam **Promotoris** sequentem: —

Reverendissime in Christo Pater! Ego hujus Synodi Gratia Vestra Promotor, humillime peto, ut mandare dignetur, quo Constitutiones seu Statuta, quae Eadem Amplitudo Tua in hac Synodo insuper adhuc publicare decrevit, legantur, et publicentur; — iussit legi Statuta Synodalia **Quoad Res disciplinares**, (Vide Statuta Synodalia.) quibus perfectis, institut idem **Promotor** pro decernenda conclusione Synodi:

Reverendissime in Christo Pater! Auxiliante divina Gratia ad finem perducta sunt ea omnia, quae in hac Synodo ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, ad augendum Religionis cultum, ad promovendam fidelium salutem, ac ad majus hujus Aliae Dioecesis emolumenutum conferre possunt: idecirco ego hujus Synodi Promotor, humillime supplico, ut Reverendissima Dominatio Tua ipsam Synodum concludere, et cum benedictione dimittere dignetur.

Episcopo respondente: „**Ita volumus et mandamus**,“ **Secretarius** publicavit Decretum:

Georgius, Dei et Apostolicae Sedi **Gratia** Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Sacratissimae Caesareae, et Regio-Apostolicae Majestatis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus: Ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, Beattissimae Virginis Mariae, sine labo originali conceptae, et Sancti Petri Ecclesiae huius Cathedralis et Dioecesis Patroni, ac Beati Mauri Episcopi Quinque-Ecclesiensis laudem et honorem annunciamus, significamus et decernimus: **Synodus Nostram Dioecesanam** conclusam esse. — Intimamus vero Vobis omnibus Dilecto Clero Nostro Seculari et Regulari, ac universo populo fideli Dioecesis cuncta, quae in hac Synodo acta, conclusa et publicata sunt, fideliter observanda: **non ut imponamus jugum super cervices vestras** Act XV.10. Verum, ad utilitatem Vestram, **non ut laqueum vobis injiciamus**, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebat, sine impedimento Dominum obsecrandi. I.Cor.VII.35. Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei in omni virtute confortati secundum potentiam charitatis ejus. Ad Coloss. I. v. 10, 11.

Hoc finito Episcopus ad Convocatos sequentem habuit sermonem dissimiliorum :

Venerabiles Fratres et Dilecti in Christo Filii!

Quoniam hodie Conventui nostro, quem Deo juvante insti-
tuimus, et benedicente absolvimus finem facimus, charitas qua Vos
omnes amplectimur, et sollicitudo pastoralis, qua erga Vos, gregem-
que Nobis concredidit flagramus, Nos impellit, ut antequam divella-
mur, pauca adhuc verba ad Vos dirigamus. In primis admonemus Vos,
ut vita et conversatio vestra sit irreprehensibilis!
Attendite charissimi istud omnium monitionum et decretorum, quae
ad Sacerdotes spectant, breve quasi compendium: careat vita vestra
omni reprehensione, et quare? Quia Vos estis sal ter-
rae, et si vitiosa vestra conversatione, legique haud consentanea, sal
illud insulsum fuerit, quomodo condientur et a corruptione praeser-
vabuntur caeteri homines? Vos estis lux mundi, quod si igno-
rantia, aut cupiditatum caligine obductum fuerit lumen vestrum,
quomodo in admirabile lumen Christi transferentur, qui in tenebris,
et in umbra mortis sedent? Vos qua Sacerdotes benignissima divi-
nae providentiae dispositione vocati estis a Domino, non tantum, ut
cum metu et tremore vestram salutem operemini, sed etiam, ut my-
steriorum Dei ministri et dispensatores effecti, alios in aeternam
beatitudinem introducere conemini: idcirco sanctimonia, quae in
caeteris fidelibus magna esse debet in sacerdote elucere debet multo
magis. Videte igitur vocacionem vestram charissimi in Christo
Frates! Sed videte simul et periculum vestrum! Si enim tam
excelsa est sacerdotalis dignitas, grave etiam constitutit pon-
dus, inquit S. Bernardus, et nisi dignitas illa meritis illu-
stretr nobilitate morum, exercitatione virtutum, et instantia
bonorum operum, quasi gradus fit ad judicium durissi-
mum, quod eos manet, qui cum caeteris praeescent, illis
bono exemplo praetere neglexerunt. Hinc Sanctissimus Dominus
nunc feliciter regnans Pontifex Pius IX-us in prima sua Epistola
Encyclica doto 9-ae Novembris 1847 sequentibus verbis excitat nos,
et urget: „Cum nihil sit, inquietat, quod alias magis ad pie-

tatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et
exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, et cuju-
smodi sunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque esse soleat et po-
pulus: pro vestra singulare sapientia perspicitis Venerabiles
Fratres, summa cura, et studio vobis esse elaborandum, ut
in Clero morum gravitas, vitae integritas, sanctitas, atque
doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex sacrorum Ca-
nonum praescripto diligentissime servetur, et ubi collapsa
fuerit, in pristinum splendorem restituatur.“

Quamvis vero vita immaculata, Pastori animarum, et cuivis
Sacerdoti omnino sit necessaria, praeter hanc tamen zelus quoque, et
infatigabilis energia inevitabiliter requiritur. In difficultia incidimus
tempora, iniquitas major est inter homines, quam antea, quae a malo
spiritu in mundum emissum est perversa et seductrix doctrina, ipsa
christianarum virtutum germina extirpare, juraque divina et humana
inverttere attentat; quo majora igitur sunt impia hostis tentamina,
eo intensor debet esse nostra activitas ad nefaria molimina haec ir-
ritanda, et quo major est conatus adversariorum malo fermento to-
tam massam in rebus civilibus aeque ac sacris corrumpendi, eo for-
tiorem opportet esse nostram resistentiam, et generositatem ad proe-
lianda proelia Domini. Non est satis Sacerdoti inculpe vivere, non
enim sibi vivit tantum, sed vivit Deo, Salvatori Iesu Christo, Ejus
Religioni et Ecclesiae, ac humano generi per Ipsum redempto; ad
sacerdotium sublimati, facti sumus ministri Christi, legati et deputati
Illius, ad opus ejus continuandum, seu ad salvandas animas, et salu-
tem earum procurandam, atque ad omnia impedimenta, quae aetas
nostra huic objicit, pro omnibus viribus nostris removenda. No-
strum est, Jesum Christum in vita et moribus, et tota agendi ratione
imitari et sequi. Quid autem fecit Christus pro salute animarum? Per
admirabilem et stupendam sui humiliationem, descendit de coelo, factus
est homo, famem et sitim, mille aerumnas, columnas, flagella
sustulit, et cruci affixus diram mortem subivit. Ecce exemplum quod
nobis propositum est! Exemplum dedi vobis, dixit Christus suis Apo-
stolis, qui et ipsi ad Illius exemplum, quot afflictiones, carceres, ca-
tenas, verbera, maledicta tolerarunt, et mortem pariter subiverunt?

Ah! quam propudosum esset nobis, post talia exempla, pro salute animarum centies leviora sustinere nolle!

Quantum quisque Deum amet, ejus mensuram et gradum ostendit zelus, quo fertur erga salutem animarum: qui amat Deum, amat et animas pretio sanguinis Christi redemptas; qui non zelat pro earum salute, non studet promovere gloriam Dei, neque amat Deum, qui sic dilexit animas, ut proprium Filium suum daret in redemptionem earum. Recogitate, quot animas ab interitu et aeterna damnatione salvare possitis, si ferventem zelum habueritis; contra, quot animae aeternum periturae sint, si tardi, incurii, desides in officio vestro fueritis? Millia peccatorum ambulant in superficie terrae, magnus eorum numerus quotidie in mortali delicto moritur, et perit, et tamen parvo saepe labore constat, infelices hos ad poenitentiam, et Deum reducere. Si incuria et negligentia vestra quipiam ex vobis creditis periverint, requiret Deus interitum eorum de manibus vestris.

Hacc Vobis diximus Venerabiles Fratres et Dilecti in Christo Filii, non quasi conqueri de vobis voluissemus; hoc nequaquam: sed ut Vos excitemus et inflammemus ad labores apostolicos invicti animi robore suscipiendos et sustinendos; magno enim nunc labore et virtute opus est, ad tuendam sacro-sanctam Religionem nostram et Ecclesiam, conservandamque utriusque pristinam reverentiam, cultum, et honorem, resupendae et omittendae sunt omnes aliae inanes occupationes, totusque vitae cursus in labore, et in animi contentione conficiendus est, ut quae sunt prava corrigantur, corruptelarum occasionses removeantur, sancta ac Deo placita vivendi ratio in nobis, et fidelibus provehatur. Ratio temporum quoque majorem in modum exposcit, ut inter nos invicem, et cum Apostolica Sede Romana, Ecclesiamque feliciter gubernante Pontifice **Pio IX-o** arctissimo vinculo conjuneti semper simus ac maneamus.

Nec minus, ut ex animo fideles, et subjecti simus Summo terrae Principi Augustissimo Imperatori, et Regi nostro **Francisco Josepho**: „*Non enim est potestas nisi a Deo.*“ Rom.c. XIII. v. 1. „*Qui dat regibus terrae regna et fortitudinem, et imperium et gloriam.*“ Dan. c. II. v. 37. In Illo veluti divinae Religioni nostrae pie sincere addicto, Ecclesia Catholica, sicut hacte-

nus fortissimum fulcrum, et propugnaculum habuit ita et deinceps quoque semper inveniet.

Confortamini igitur, et estote robusti, nullum genus industriae praetermittatis in procuranda hominum salute, ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem promovendam, ad decus status nostri, publicumque aestimum, et fiduciam conciliandam. Nostrum est seminare, Deus incrementum dabit: Veritas enim Domini manet in aeternum, et in fine semper triumphat.

Et sic Venerabiles Fratres et Dilectissimi in Christo Filii! officio Nostro functi sumus, et conventui huic finem imponimus, quem ut Deus ter Optimus Maximus bene vertat, atque ad Nostrum, Almaeque hujus Dioecesos, et totius Ecclesiae suae emolummentum feliciter evenire jubeat, toto cordis affectu precamur et oramus. Amen.

Allocutione finita Eppus intonavit ad aram „**Te Deum laudamus**,“ et post Antiphonam „**Benedicamus**“ cantavit Orationem „**Deus, cuius misericordiae**“ impertitusque est solemnum benedictionem.

Tum **Secretarius** legit Decretum Indulgientiarum:

Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Noster **Georgius**, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus: attentis facultatibus a Sacra Sede Apostolica concessis, quo ubiorem fructum e Synodi celebratione omnes capiant, dat et concedit omnibus hic praesentibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis Indulgencias quadraginta dierum, in forma Ecclesiae consveta. Rogate igitur Deum, ut super Synodus hanc largam benedictionem effundat, et Constitutionibus illius incrementum det. Rogate etiam pro felici statu Sanctissimi Domini **Pii IX.** Pontificis, et Suae Dominationis Reverendissimae, ac totius Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis.

Tum ad intonationem Diaconorum „**Recedamus in pace**“ omnes Synodales Convocati responderunt: „**In nomine Christi.**“

Actis his subnectuntur homagiales Literae, communi voto Synodalium Convocatorum, ad Sanctissimum Dominum nostrum PIUM IX. Summum Pontificem, e Synodo directac:

Beatissime Pater!

„Nullum quidem unquam praeterit temporis momentum, quin Sanctitati Tuae devotissimus Clerus cum fidelissimo populo aliae Diocesis Quinque-Ecclesiensis profundissimae venerationis, tenerimae que dilectionis ac fidelissimae adhaesionis suae erga Sanctitatem Tuam palam de se dare documenta gestret: momento tamen hoc, quo de benignissimo indultu Sanctitatis Tuae die 11-a Junii 1860. a sacra Congregatione Concilii obtento, ad majorem Dei Omnipotentis Gloriam promovendam, ad S. Matris Ecclesiae honorem augendum, et ad Fidelium salutem, ac maius ipsius aliae Dioecesis hujus bonum promovendum, in unum coadunati Synodus dioecesananam celebramus, majori usque ardore austuant corda omnium, flagrantque amore Tui Sanctissime Pater! Qui animabus nostris mira charitate praefulges, et invicta patientia ac admiranda constantia pro iustitia, Deique et Ecclesiae causa pugnans, confortas nos exemplo Tuo splendido ad proelianda fortiter proelia Domini, et ad resistendum antiquo hosti cum omnibus vitiis et concupiscentiis suis; Qui apostolicarum virtutum Tuarum radiis omnem collustrans Ecclesiam, instruis nos, ut essemus sacerdotium mundum, gens sancta Dei, bonarum quarumvis virtutum odore fragrantes.

Hoc inquam temporis momento, quo corda nostra ad Te Sanctissime Pater redamandum uniuntur, igne Tui amoris succensi festive promittimus et sancte spondemus: nos unanimiter stare velle in ea, quam in exordio synodalis Conventus nostri juxta Rituale Romanum in manibus Reverendissimi in Christo Patris nostri elicuimus fide, et in hac vivere morique nos velle; promittimus et festive spondemus: nos providos ordinis nostri Cooperatores futuros, in quibus resplendent totius forma justitiae, ut bonam rationem dispensationis nobis creditae semper reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequamur.

Haec vero promittimus et adspondemus non ad nostram solum utilitatem et salutem, sed et ad Sanctitatis Tuae consolationem,

ut Sanctitas Tua, Quae toto fere Regiminis sui tempore crucem de cruce sustinere cogitur, in tribulatione Tua, et amaritudine amarissima de nostra hac etiam contestatione, filiali pietate, adhaesione ac teneritudine, consolationem quadamtenus hauirire queat.

Suscipe igitur Sanctissime Pater tenerrima haec filiorum tuorum vota, et patere nos tuos jugiter esse, qui sine te esse non possumus, nec sine te esse volumus.

Qui omnes Supremum ac invisibilem Ecclesiae nostrae Pastorem precamur et oramus: ut Te suum in terris Vicarium in salutem gregis universi diu servet incolumem, Tuarum exemplo virtutum sanctam suam glorificet, et augeat haereditatem.

Qui dum ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provoluti, super nos, et super Synodum nostram apostolicam benedictionem petimus; cum tenerrimo beatissimorum pedum osculo, ac profundissima cum veneratione perseveramus: Quinque-Ecclesia in Sessione III-a Synodali, die tertia Septembbris, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio celebrata. Georgius Girk m. pr. Episcopus Quinque-Ecclesiensis, cum Clero suo in Synodo congregato.

In quarum nexu Sua Sanctitas, Beatissimus Pater et Dominus Noster, sequens clementissimum responsum, propria benedicta manu subscriptum dare dignatus est:

PIUS P. P. IX.

Venerabili Fratri Georgio Episcopo Quinque-Ecclesiensi, ejusque Clero.

Venerabilis Frater ac Dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem. Nobis, qui paterna caritate omnes in Christo complectimur, nequit non esse jucundissima, Venerabilis Frater ac Dilecti Filii, illa amoris vicissitudo, quam a Fratribus et Filiis nostris excipimus. Mirum itaque solatum angoribus nostris attulit ea sedulitas, qua occasione quavis arrepta, caritatem vestram Nobis testatam facere satagit, atque alacer ille animorum assensus, et obsequium, quo ex-

cipere profitemini quaecunque in justitiae tutelam, in praesidium Sanctissimae Religionis Nostrae, atque in defensionem jurium hujus Sanctae Sedis docemus ac promulgamus. Gratulamur Vobis, quod in Synodus coacti hosce sensus, alias jam Nobis proditos, quos singuli fovebatis, communis professione iterum confirmare volueritis, ut validiores inde duceretis vires sive ad adhaerendum semper constantius huic veritatis Cathedrae, sive ad svadendum aliis idem obsequium, sive ad ceteras muneras vestri partes obeundas. Voce Vestra ad Dominum clamate, Venerabilis Frater, ac Dilecti Filii, Eumque Nobiscum exorate, ut hisce faveat consiliis, laborumque Vestrorum fructui in populo vobis credito ejusmodi tribuat incrementum, ut nequitia tandem profligata, restitutoque justitiae imperio compotes fieri possitis ejus voti, quod vobis commune est cum universa christiana republica. Hujus interim rei auspiciem ac simul pignus praecipuae in Vos caritatis Nostrae, Tibi, Venerabilis Frater, Vobisque Dilecti Filii, totique hujus Dioecesis populo Benedictionem nostram Apostolicam peramanter impertimus, Datum Romae apud S. Petrum die 23-a Septembris 1863. Pontificatus Nostri Anno XVIII. PIUS P. P. IX.



TITULUS PRIMUS.

De iis, quae ad Fidem Christiano-Catholicam et Mores pertinent.

§. 1.

De Fide Christiano-Catholica.

Docent nos Sacrae Litterae, non esse in alio aliquo salutem, nec aliud nomen esse sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine Domini Nostri Jesu Christi Nazarenij;¹⁾ Ipse enim est via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem, nisi per Eum;²⁾ desperataque est omnino salus eorum, qui alia via quaerunt aeternam beatitudinem, quam quae a Catholica Ecclesia, veritatis ab Eo ex coelis adlatae, magistra et depositaria commonistratur.

Ingemiscimus et amaris idecirco deflemus lachrymis calamitatem huius aevi; tot quippe in eo numerari hostes infensissimos divinae Religionis et Ecclesiae nostrae, qui illam virulentis oppugnant assultibus, fucato ratiuncularum et sophismatum apparatu, falsam, merumque humanum inventum, rationi, ac bono commodo humanae societatis adversam ef-

1) Actorum c. IV. v. 10—12.

2) Joannis c. XIV. v. 6.

futire non erubescunt, ipsumque Deum et Christum ejurare non verentur; pestifera hac incredulitatis contagione haud paucos etiam indoctos, rudioresque afflari, multorum convictionem de divina fidei veritate in dies imminui, tempore denique et indifferentismum in negotio Religionis per omnes hominum classes latius diffundi, imo diffusum iam esse.

Operariis in vinea Domini incubit, depositum fidei custodire, gregem fidelium a venenatis pascuis arcere, in via veritatis conservare, et confirmare, ac quaevis errorum monstra convellere. Quare

a) omnem impendant operam Curatores animarum, ut fideles sibi crediti in fide catholica firmentur, ac de ejus veritate intime convinceantur; non solum, ut donum hoc inaestimabile magni faciant, et summae felicitatis sibi ducant, sed etiam ne adversariorum insidiis et seductioni facile pateant, imo et eorum impetiones etiam cum effectu reprimere valeant. Hoc fine

b) in sacris ad concionem Sermonibus, et Catechesibus, in institutione sponsorum, aliisque privatae instructionis occasionibus simplici semper et plano, atque ad captum accommodato sermone exponant extraordinarios et universae naturae vires excedentes eventus, prophetias, miracula, celerem Religionis Christianae propagationem, et mirabilem ejus a tot saeculis conservationem, denique confessiones Martyrum, e quibus divinae Religionis veritas demonstratur; quo semel ad evidentiam posito, summae arrogantiae et iniquitatis est, seu totius Revelationis systema, seu speciales articulos Fidei ad tribunal humanae scientiae

et limitibus circumscriptae rationis vocare velle; cum nihil tam irrationaliter sit, quam omniscientiam divinam, rationemque infinitam finitae rationi subordinare.

c) Cum his temporibus hostes Religionis nostrae omnes ingenii vires, iniquissimas artes, machinationes, columnias et detorsiones adhibeant ad subvertendam Revelationis divinae veritatem, aut admittens ad indifferentismum in negotio Religionis inducendum: haud mediocris utique scientia et dexteritas necessaria est, ad veritatem defendendam, et ad speciosa argumenta, quibus impugnatur, convellenda; Quapropter animarum Curatores irremisso studio conitantur eas sibi cognitiones et scientiam comparare, queis nequissima adversariorum in dies crescentium tela retundere, et infringere efficaciter valeant: „**Labia enim Sacerdotis custodire debent scientiam, et legem requirent de ore ejus.**“¹⁾ idemque paratus inveniri debet, ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe.²⁾

d) Pastores curae suae creditos a lectione librorum perniciosorum, Religioni infestorum, eam directe vel indirecte oppugnantium, vel cavillantium, omniumque similis furfuris ephemeredum et pagellarum, quae Fidem Catholicam labefactare, contemptum et odium in clerum accendere nituntur, omnino dehortari, et retrahere satagant; ob oculos eis ponendo, quod male saluti suae consulant, talia legendi; periculoque se exponant summum Dei donum — **fides** quippe

1) Malach. II. v. 7.

2) I-a Petri III. 15.

mittendi; cum venenum blande quidem intret, sed in fine mordeat, et perimat;

e) meminerint etiam Parochi et Confessarii, omnibus et singulis fidelibus inhibitum esse, ne quovis praetextu etiam curiositatis conciones Heterodoxorum audire, vel eorum cultus exercitiis interesse praesumant. Denique

f) nihil eorum intermittant, quae ad tuendam et fovendam Fidem Catholicam inter suos conferunt, serio recogitando, quam severum iudicium, quam terribilis exspectatio poenarum sibi immineret, si suo peccaminoso silentio, defectuque vigilantiae, custodiae, et zeli, animae ipsis concreditae damnationem aeternam incurrent.

§. 2.

De Fidei Professione.

Cum fides cuiusvis boni salutaris fundamentum sit, et Religio christiano-catholica tota sancta, vera et divina, ejusque doctrina ad salutem necessaria: ut fides haec in hac Dioecesi nostra, quantum in nobis est, illibata semper servetur, et tradatur, inhaerentes Decretis SS. Concilii Tridentini Sess. 24-a cap. 12-o de Reform. et Provincialis Synodi Strigoniensis 1858-o celebratae, obstringimus, et obstrictos declaramus ad publicam orthodoxae Fidei professionem juxta formulam a Pio IV-o praecriptam:

a) omnes Cathedralis Ecclesiae Dignitarios et Canonicos tam actules, quam honorarios, toties reno-

vandam, quoties altiore gradum conscenderint; tam coram Nobis, vel Delegato Nostro, quam et Capitulo;

b) omnes qui curam animarum obtinent, scilicet Parochos et Capellanos locales, eamque iterabunt toties, quoties novae parochiae possessionem adiverint;

c) Superiores Seminariorum, majoris, et minoris, nec non synodales Examinatores;

d) cunctos, qui disciplinas sacras in Lyceo Episcopali, aut profanas quoque in Gymnasio docuerint, et quidem ex laudabili consuetudine cum initio eiusvis anni scholastici;

e) Concionatores stabiles etiam Regulares;

f) denique docentes stabiles scholarum realium, normalium, praeparandiae, et trivialium, peculiarem classem assignatam habentes; item magistras scholarum puellarium tam publicarum, quam privatarum, qui omnes in manus Vice-Archi-Diaconi, vel Parochi, aut alterius per Episcopum Deputati, dum officium suum auspicantur, sub cultu divino, lingua in parochia usitata, dictam Fidei professionem eliciendam habebunt.

§. 3.

De Morum corruptione, et vitiis in crescentibus.

Posteaquam per disseminatas a saeculo falsas pestiferasque doctrinas, lumen fidei in mentibus mortaliuum obfuscatum est, et contagiosum virus incredulitatis, scepticismi, atque pruritus veritates Religionis in dubium trahendi, instar mali fermenti omnes hominum classes pervasit; mirum non est, mores quo-

que Christianorum in deterius versos esse: in quorum enim cordibus fides evanuit, aut labefactata est, apud eos elater etiam ad colendas virtutes, et vicia fugienda vim suam perdidit, aedificium quippe non potest firmiter subsistere absque fundamento, neque arbor vi-
rere, salubresque fructus proferre absque radice!

Characteristicum malum huius aevi est inordinata cupiditas commodorum et voluptatum temporaliuum, conjuncta cum incuria rerum divinarum et aeternarum. Homines in terram defixi, et unice passionibus cordis sui servientes, non possunt non in profundum immoralitatis demergi; hinc profluit avaritia, et sitis divitiarum, cui tamquam idolo genua incurvantur; studium opum convasandarum modo indigno et injusto, eum usura mordente, et destructione integrarum familiarum, et haeredum; luxus in supellectili et vestibus, quarum continuo novae elegantiae et formae quaeruntur; luxuria, quod vitium in dies maximos progressus facit; tepor porro et indifferentia erga propriam Religionem et Ecclesiam; contra: facilis et promptus animus spiritum aevi sequendi etiam cum injurya suae Religionis; vécordia denique et spuria verecundia apud eos etiam, qui fidem retinuerunt, hanc, ex respectu humano et amore proprio libere et palam haud profiteri, nullamque prorsus molestiam ex amore Dei et Religionis subire velle.

Facile est hinc intelligere, quantopere his vitiis pericitetur salus animarum, quantumque corruptio haec exposcat zelum, et virium intensionem omnium, qui pro muris Jerusalem custodes constituti sunt, ne tot animae, sanguine Jesu Christi redemptae, pereant,

et ut corruptela haec, antequam profundiores radices figat, extirpari valeat. Quapropter suspirantes ad Deum, et vocem geminantes, committimus, ac injungimus omnibus curam animarum habentibus, ut sibi creditorum conversioni, sanctificationi et saluti totis viribus incumbant; peccatoresque, et officia hominis christiani haud impletentes, omni occasione, tam in sacris suis sermonibus, quam et privatim, ad tramitem virtutis reducere satagant; quod ut cum certiore effectu facere possint:

a) vivide ob oculos ponant eis infelicitatem peccatoris, qui utope dum per peccatum Deum derelinquit, ipse quoque ab eo derelinqui meretur, imo saepe etiam derelinquitur, iuxta illud Jerem. „**Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur, receudentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium.**“ Ostendant contra: felicitatem eorum, qui Religionem divinam Jesu Christi sincere sequentes, ejus praceptis lubenter obtemperant, ineffabileque illud gaudium, quod hi ex amicitia Dei, et conscientiae tranquillitate percipiunt;

b) in omnibus suis monitionibus, aut correptionibus memores sint semper mansuetudinis ecclesiasticae, neque adhibeant modum, qui peccatorem exacerbaret magis, quam emendaret; abstineant a verbis et expressionibus indecoris, ac indecentibus, quae ab omni modesto et culto homine reprobari possent. Eluceat ex omni correctione charitas, et sollicitudo de salute corrigendi, fiat cum patientia, quae nulla seu contumacia, seu resistentia, aut injuria expugnari queat. Si needum optatus effectus sequitur, validius

quidem remedium adhibendum venit, iuxta illud: „Argue, obsecra, increpa.“¹⁾ — „Increpa illos dure, ut sani sint in fide“²⁾; ast, nec hoc quidem citra spiritum charitatis, ne impetu fervoris abrepti plus noceant, quam prosint;

c) his needum sufficientibus; Pastor animarum gravissimis verbis inculpet auribus indurati peccatoris: quam terribile judicium exspectandum habeat, si Deo vocanti toties pertinaciter resistendo, ab eo desertus in impenitentia, et peccato suo mortem, — cuius hora semper incerta est, — oppetierit: experientia quippe docet, inveteratos peccatores communiter ita mori, prout vixerunt, — vixerunt in peccato, moriuntur in peccato; vixerunt tamquam inimici Dei, moriuntur tamquam inimici Dei, et hoc ipso damnationem incurront aeternam. Recedet ita forsitan cum gratia Dei impius salutari horrore percusus a via sua, si tamen in impietate sua mortuus fuerit, sanguis ejus de manu Pastoris non requiretur.

TITULUS SECUNDUS.

De Sacramentis.

§. 1.

De Sacramentis in genere.

Cum Sacraenta per divinum Salvatorem Nostrum Jesum Christum ad salutem generis humani instituta sint, et per ea omnis vera justitia vel inci-

1) Tim. IV. v. 1.

2) Tit. I. 13.

piat vel copta augeatur, vel amissa reparetur, ut loquitur Concilium Tridentinum¹⁾; sint item instrumenta et canales, per quos merita Jesu Christi nobis communicantur; adeoque nihil excellentius, magisque divinum, nihil sanctius nihil utilius, ut ait Rituale Romanum: idecireo Synodus enixe hortatur cunctos Sacerdotes, et fideles, ut piae oculis semper habentes sanctitatem et excellentiam horum Sacramentorum, nihil praetermittant eorum, quae ad debitam illorum sive administrationem, sive susceptionem pertinent, meminerint constanter eorum Ministri, cuius nomine ea ministrent, pro quo legatione tunc fungantur, quantumcum attentione, pietate et conscientiae puritate conferenda veniant.

Speciatim vestigiis Synodi Provincialis insistendo, decernimus et statuimus:

1-o Sacramentorum dispensatores omnia, tam quoad materiam, quam quoad formam ab Ecclesia praescripta ad amussim observent, nec in iis quidquam immutare, nec aliquid addere, vel detrahere praesumant, impenseque studeant, in ipsa administratione non modo virtualem sed semper actualem quoque intentionem habere.

2-o Quia animarum Curatores, quovis temporis momento ad eorum administrationem vocari possunt; necesse est eos, ne damnationem incurvant, ita pie, temperanter, et caste vivere, ut in quibusvis casibus officio suo rite defungi possint. Unde si gravis peccati reos se agnoverint, conscientiam suam mox sa-

1) Sess. XVII. a. Decr. de Sacr. in Proemio.

nem A. baron F. mls

eramental Confessione expiare satagant. Si tamen de-
sit copia confessarii, urgeatque necessitas administran-
di Sacramentum, de admisso peccato corde contrito
poeniteant, cum serio proposito quamprimum confitendi.

3-o In ipsa sacra functione ita devote se gerant,
ut adstantes intelligent, rem agi maxime sacram;
omnia verba attente, distinete, et clara voce pronun-
ciant, ne indecenti festinatione sacrum ministerium,
vel ipsum Sacramentum contemptui exponant.

4-o Ne Sacraenta illorum, quibus ea, adminis-
trantur, indignitate profanentur, monendi sunt fide-
les, ut debita cum dispositione, conscientia pura, ac
omni qua par est reverentia, et devotione ad ea su-
scienda accedant. Hoc fine captui accomodata de
Sacramentis doctrina, eorum institutione, dignitate et
salutaribus effectibus, populo fideli saepius, et sva-
dentibus adjungetis, praeprimis occasione eorum ad-
ministrationis, diligenter exponenda erit.

5-o Curent omni ratione Parochi, ut vestes, or-
namenta sacra, et vasa pro singulorum Sacramento-
rum usu, et ministratione adhibenda, munda sint, eo-
que nitore colludeant, qui rei dignitati maxime con-
veniat. Denique

6-o Disponimus: ut Rituale Strigoniense anno
1858-o editum, ubivis per Dioecesim adhibeatur, in-
structiones, quae in eo praescriptae sunt, diligenter
observentur; saepius per ipsos Curatos perlegantur,
nec quisquam audeat in functione pro lingua latina,
velut lingua Ecclesiae, vernaculaam adhibere.

§. 2.

De Baptismo.

Quae circa Baptismum a Synodo Provinciali
Strigoniensi statuta sunt, ab omnibus sollicite tenenda,
et observanda praecepimus, additis sequentibus:

a) In quavis Ecclesia parochiali adsit baptiste-
rium in loco commodo constitutum, non ex ligno,
nec apertum, sed ex lapide, et undique clausum, sera
et clave undique provisum, quae in Sacristia diligenter
custodiatur. Infans supra fontem non est tenendus,
ut affusa super ejus caput aqua baptismalis, in eun-
dem recidat; sed haec vase supposito excepta, in
piscinam est derivanda. Hyemis tempore aqua bapti-
smalis temperate calefacienda, seu tepida reddenda est.

b) Ne Ministri huius Sacramenti per iterationem
baptismi gravem culpam, cum irregularitate incurant;
quoties propter mortis periculum infans ab obstetricie,
vel alia persona baptisatus fuerit, diligenter inquirant
in validitatem ipsius Sacramenti. Quodsi omnia, quae
ad validam baptismi administrationem, quoad mate-
riam, formam, et intentionem, pertinent, rite adhibita
fuisse compererint, nequidem sub conditione bapti-
smus sine piaculo repeti potest, sed caeremoniae tan-
tum, seu preces et ritus Ecclesiae consueti, supplendi
sunt. Qui hac occasione adhibentur sponsores, cognationem
spiritualem non contrahunt, et tamquam hon-
orarii tantum Patrini sunt libro baptisatorum inscri-
bendi.

c) Quia tamen juste praemetuendum est, ne
obstetricies, in perplexitate, et animi perturbatione,

quae in similibus adjunctis ob periculum infantis, aut etiam matris enascitur, aliquid essentiale omiserint, aut, ne pro imperitis habeantur, et ab officio deinceps excludantur, errores commissos tegant: idecireo, si fundata adest ratio de valore Sacramenti dubitandi, baptisati ab illis sub conditione sunt baptisandi. Patrini vero in hoc casu cognationem spiritualem contrahunt. Ad evitandam facilius omnem circa hoc errorem, et judicium certius formandum, Parochi teneantur non solum obstetrices parochianas suas bene docere, quomodo administrandum sit Sacramentum, sed etiam moneant easdem, ut dum in periculo mortis prolem baptisant, id faciant, quantum fieri potest, coram duobus testibus, et praecipue coram matre prolis, ut testari valeant, dum opus fuerit, de baptismō rite collato, una autem de collato a se Sacramento semper certiore reddant Parochum.

a) Cum plerumque conjugati in patrinos eligantur, ast ad levandam e sacro fonte prolem, alteruter tantum conjugum, et potissimum mulier compareat, sicque vir aut foemina, quae baptismō non interest, et infantem dum baptisatur, non tangit, nec spiritualem cognationem contrahat: eapropter ad antevertendam omnem difficultatem intuitu impedimenti dirimentis subin oriri solitam, matriculae baptisatorum, solum nomen illius conjugis velut patrini, vel matrinæ inscribendum erit, qui prolem e sacro fonte levavit, addito tamen marito vel uxore N. N.

§. 3.

De Confirmatione.

Quoniam haud paucae etiam quoad hoc Sacramentum Pastoribus animarum incumbunt obligationes, earum praecipuas sollicite semper observandas isthic adnotamus:

1-o Cum Confirmatio sit veluti consummatio perfectio, et complementum baptismi, per quam baptisatis augetur gratia sanctificans, et additur robur Spiritus sancti, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam: idecireo providus animarum Curator omnem dabit operam, ut tam confirmandos, quam generatim fidelem populum ad hunc sacrum actum debite praeparet; confirmandos quidem ut digne hoc Sacramentum suscipiant, ceteros autem, ut quae hac occasione sua ex parte praestanda habent, intelligent, et conscientiose observent. Quapropter

2-o Parochus tempestive ante defixum terminum administrationis huius Sacramenti, populum de divina illius institutione, vi et dignitate, copiosisque gratiae donis cum eo conjunctis edoceat, exhortetur una omnes, ut sibi quacumque ratione subjectos, ad illud suscipiendum, velut et praeviā institutionem hoc fine hauriendam libere lubenterque dimittant, monendo cunctos, gravis peccati reatum incurrire tam illos, qui susceptionem huius Sacramenti, dum possent, negligunt, quam et eos, qui aliis, quominus illud suscipere valeant, impedimenta ponunt.

3-o Edoceantur fideles, ad susceptionem huius Sacramenti adducendos non esse parvulos, qui ad

usum rationis (in regula ante septennium) nondum pervenerunt. Curent quoque parentes, ut ad confirmationem proles mundiore corporis cultu, in facie, et fronte lotae, neque cum dependentibus ad frontem capillis, ac exceptis infirmis, aut nimium debilibus, jejuni, omni cum pietate, et devotione accedant.

4-o Monendi quoque sunt fideles, et pastores etiam super eo speciatim invigilent, ut ad constitutam pro saera functione horam, Patrini cum Confirmandis ad Ecclesiam accurate compareant, ut sic dum Episcopus mox in exordio preces extensis manibus versus Confirmandos dicit, effective praesto sint: qui vero finitis his precibus serius advenerint, non se collocent ad ordinem reliquorum, sed a parte seorsim constant, donec super ipsos eadem preces persolutae fuerint. Demum nullus eorum discedat domum, nisi finitis precibus, et ultima benedictione Episcopi accepta.

5-o Cum Confirmatio sit sacramentum vivorum, omnem operam adhibeant Curatores animarum, ut Confirmandi optime instructi et praeparati ad illud suscipiendum accedant; idcirco praeter consuetas preces, symbolum fidei, praecepta Dei et Ecclesiae, necessaria scitu necessitate medii ac praecepti, et quae ad suscipiendum hoc Sacramentum in specie pertinent, cognita habeant, atque ut gratiam sacramentalem percipiant, de peccatis ex animo doleant, confessionem contrito corde peragant, adultiores etiam s. Communionem sumant.

6-o Sciant pariter, se unctos et confirmatos, tamquam fortis athletas paratos esse debere ad omnia adversa invicto animo pro Christo et Religione Ca-

tholica ferenda, obstrictos esse semper, ut vere Christianos decet, sentire ac vivere; quae cuncta non tam nudis verbis, quam ardentissimam pietatis studio, animis eorum profunde insculpenda erunt. Sciant demum, et meminerint Confirmationem eam vim habere, ut suscipientibus characterem imprimat indeleibilem, quo fit, ut nulla unquam ratione sine gravi peccato iterari possit.

7-o Quoad Patrinos advertant Parochi: unum tantum, vel unam pro sexus diversitate hoc officio fungi posse, qui omnibus illis requisitis instructi sint, quibus Patrinos in Baptismo ornatos esse oportet: sint ipsi jam confirmati, aliique ab illis, qui in baptismo fuerunt, nisi necessitas cogat; convenit quoque, ut sint confirmandis, quos tenent, adultiores; sciant obligationes quas per munus hoc contrahunt, velut et id: ex hoc Sacramento enasci inter ipsos, confirmatum item, ejusque parentes, cognationem spiritualem, impedimentum matrimonii dirimens inducentem, ideoque haud facile admittendum, ut unus multis in Confirmatione assistat.

§. 4.

De Eucharistia.

Omnibus quidem Ecclesiae Catholicae Sacramentis (ait Rituale Romanum, et post illud Strigoniense) religiose, sancteque tractandis, magna et diligens cura adhibenda est; sed praeincipue in administrando et suscipiendo sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quo nihil sanctius, nihil admirabilius habet

Ecclesia Dei: cum in eo continetur praecipuum, et maximum Dei donum, et ipsem omnisi gratiae et sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus. Cordi proinde sit omnibus sacerdotibus, ut summa, qua deceat, sint erga sanctissimum hoc Sacramentum pietate et devotione, maximamque in eo tractando, administrando, ac dispensando adhibeant curam, diligentiam, et venerationem. Quem in finem Synodus haec sequentia speciatim statuit, et maximopere inculcat:

1-o Cum in Augustissimo hoc Sacramento Ille praesens sit, in **Quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter**¹⁾ omni studio curandum est, ut tabernaculum in quo Sanctissimum asservatur, sit intrinsecus et extrinsecus, pro eiusvis Ecclesiae facultatibus, ita nitidum et ornatum, ut sit signum vividae fidei nostrae, et incitamentum ad omnem pietatem; sit mundum a pulvere, et omni squallore; sit vacuum a quibusvis reliquiis, ss. oleorum vasculis, aliisque rebus quibuscumque, nullamque aliam rem contineat, praeterquam vasa sacra, in quibus saera Eucharistia actu asservatur. Vasa haec, quotannis semel administrus intrinsecus et extrinsecus mundentur, et suo splendori restituantur. Ciborium sit administrus intrinsecus deauratum, operculo bene clausum, et pretioso pallio albi, et non alterius coloris, vestitum. Quoad Osteriorum optandum, ut ea pars, in qua exponitur sacra hostia, sit ex argento deaurata, lunula debet esse ex argento, et undequaque deaurata. Vas continens

1) Coloss. II. 9.

Venerabile Sacramentum, semper deponatur in corporali mundo, et candido, quod ex lino vel canabe contextum sit, et benedictum. Lampas continuo ante altare, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, ardeat, si proventus Ecclesiae alendo perpetuo lumini non sufficiunt, ex eleemosyna fidelium sustentetur, qui libenter vel totum, vel quod deest, praestabunt, non enim homini hoc praestatur, sed Deo. Claves tabernaculi a Parocho aut alio sacerdote diligenter custodiantur; praestat, ut duae sint, ut una forte amissa, ad manum habeatur altera. Hostiae consecratae administrus semel in mense renoventur, nec unquam ulterius differatur, de aestate autem in locis humidis, aut tempore pluvioso etiam saepius, nempe decimo quinto die, aut etiam octavo, a sacerdote una cum fragmentis consumantur, Ciborium purificetur, et novae recenter confectae hostiae consecrentur; numquam novae hostiae cum veteribus misceantur.

2-o. Non omittant Parochi fideles suos hortari, ut ad hoc Sacramentum, in quo **Christus Dominus**, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. XIII. c. 2-o. **divitias sui erga homines amoris velut effundit; quodve panis vitae, et nutrimentum est animae**, saepius, non solum in paschate, accedant; licet enim per communionem paschalem praecepto Ecclesiae satisfaciant, non tamen indigenti animae satis succurrunt. Doceant eos, quomodo ad coelestem hanc mensam digne et cum ingenti fructu accedere debeant, cum ex digna, vel indigna Corporis Domini sumptione, vita, vel mors, salus, vel damnatio pendeat, dicente Apostolo I. ad Cor. 11. **Qui manducat et bibit indigne,**

judicium sibi manducat et bibit. In regula juxta antiquum Ecclesiae ritum S. Eucharistia dispensanda est sub Missa, post sumptionem calicis; non tamen si Missa dicatur de Requiem, nisi particulae sub eadem essent consecratae¹⁾. Si extra Missam fiat Communio, Sacerdos sit indutus superpelliceo, vel alba, et stola albi coloris, et in vase cum aqua, specialiter ad hunc finem in altari parato digitos abluat, prout et alias semper, quoties extra Missam Corpus Domini attingit, aqua vero postea in piscinam effundatur. Peracta sic communione, benedictio cum Ciborio dari potest. Caeterum asseverare conentur Pastores fideles suos, ut sacram communionem sumant extra Sanctuarium ad cancellos Presbyterii, extenso ante eos linteo mundissimo, ne minutae quaedam particulae in terram decidant. Item ad augendam devotionem, et solemniorem reddendam ss. Sacramenti dispensationem, praesertim si plures sint communicantes, multum conferet, si durante communione, sacri, huicque scopo accomodi hymni per praesentes, comitante organo decantati fuerint. Quinam a s. communione arceantur, in Rituali notatur.

3-o. Cum juxta Ecclesiae praeceptum omnes, et singuli fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneantur sub mortali reatu singularis annis saltem in paschate, ad s. communionem accedere; ideo advigilent Parochi, ut huic praecepto omnes satisfaciant. Hoc fine ad initium Quadragesimae hortentur fideles, ut digne se ad suscipiendum Corpus

1) S. C. R. 2-a Sept. 1741. et 23-a Sept. 1837.

Domini praeparent, ac ineunte tempore paschali peccata sua fideliter, et contrito corde confiteantur, docentque una modum, quo dignius et devotius ad hanc sacram mensam accedere possint.

4-o. Peculiarem curam convertant Pastores ad praeparandos pro prima Communione parvulos, sicut enim dubium non est; omnem communiantis alicuius spem positam esse in christiana puerorum educatione, ita non minus certum, nihil ad istam piam educationem conferre efficacius, quam debitam ad primam communionem praeparationem. Quapropter nihil intentatum relinquant Parochi, ut per principia fidei, de praesentia reali Salvatoris in Eucharistia sedulo edocti, eorum cordibus hoc oraculum alte imprimatur: „**Opus grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo**“¹⁾. Sint bene instructi in rudimentis fidei, quo enim accuratius doctrinam christianam, et ea, quae ad rectum examen conscientiae, confessionemque peragendam et praesertim ad s. Eucharistiam spectant, cognoverint, eo maiori veneratione, fide, amore, ac fiducia ad divinum mysterium accendent, eo ubiores fructus percipient, et postea in fide fundati, stabiles et immobiles in semitis justitiae permanebunt. Sed necesse quoque est, ut qui prima vice ad sacratissimam mensam accedunt, veste nuptiali induantur; unde adlaborandum est, ut correctis praevie defectibus et inordinatis affectionibus, bonis moribus eluceant, virtutibusque christianis, maxime pietate, obedientia, diligentia, se destingvant.

1) I. Paralipomenon XXIX. 1.

Prima parvorum Communio in regula, Dominica in Albis instituitur, atque magnopere interest, ut quo majori cum apparatu, et solemnitate celebretur, quo sic, quod acturi sunt, vehementius sentiant, et quod actum fuerit, alta memoria retineant.

5-o. Sanctissimum nonnisi diebus ab Ordinario constitutis, seu in Monstrantia, seu in Ciborio venerationi, aut pro danda benedictione exponatur, ne populi fidelis devotio ex frequenti ejus visione tepescat. Dum adorationi expositum est, per horas tantum diurnas in Altari relinquatur; attamen adsint semper, aliqui Ejus adoratores. Altare sit eorum, omni quo potest decore, exornatum, ardeantque in eo administrus sex candelae; dum in processione circumfertur, in expositione item, et repositione illius (si duntaxat sit distincta functio) color albus semper adhibeatur; in velo quoque humerali, etiamsi Missa, vel vesperae in alio colore celebrentur.

6-o. Dum pro viatico ad infirmum defertur, id magna cum pietate et decentia fiat. Sit sacerdos superpelliceo, et stola alba indutus, et detecto capite; praecedat eum minister cum lucerna, et tintinnabulo, quo populum occurrentem ad adorationem excitet. Ubi fieri potest, et locorum conditio difficultates non parit, optandum est, ut maiori quoque cum solemnitate Sanctissimum ad infirmum deferatur, sub baldachino quippe, si adsint portatores, et comitantibus pluribus devotis utriusque sexus fidelibus. Si vero ad longiorem distantiam, ad filiales fuerit deferendum, permittitur quasi clanculo, servata tamen omni reverentia, administrari, modo absit omne periculum

dehonestandi ss. Sacramentum. Poterit etiam eotum Sacerdos, praecipue brumali tempore, cooperto capite in itinere esse, et superpelliceum cum stola in domo infirmi assumere. Morem inducant Parochi inter fideles suos ubivis, ut cubile, ubi aegrotus jacet, sit mundum, adsit mensa, linteal nitida mappa instructa, cum lumine et aqua lustrali, praesto sit quoque vasculum cum aqua pro ablutione digitorum, purificatorium item, quo Sacerdos digitos aqua mundatos extergat, denique, (ubi habetur), imago Crucifixi, et cereus ardens benedictus.

§. 5.

De SS. Missae Sacrificio.

„Quanta cura adhibenda sit, ut sacro-sanctum Missae Sacrificium omni religiosi cultu et veneratione celebretur“ ait Concil. Trid.¹⁾ quivis facile existimare poterit, qui cogitaverit maledictum in sacris Litteris vocari eum, qui facit opus Dei negligenter. Quodsi necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, et divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis

1) Sess. XXII. Decr. de obs. et vitand. in celebr. Missae.

munditie, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.“ Cum quippe magnum hoc, et admirabile Sacrificium, idem sit, quod ipse semel in Ara Crucis consummavit, hoc uno discrimine, quod istud ab ipso semel oblatum, cruentum cum caede Domini peractum fuerit, hoc vero ineruerto modo, nulla sanguinis effusione perficiatur; in utroque tamen eadem hostia Patri Omnipotenti cadat, hinc quantum ad id studii, quantum cogitationis et curae adhiberi debeat, ut coelestem hanc hostiam recte digneque immolemus, facile quisque intelligit. Quamobrem Synodus haec, sequentia cunctis Sacerdotibus inculcat.

1-o Memores sint semper verborum, et moniti divi Apostoli Pauli: **Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibt indigne, judicium sibi manducat et babit.¹⁾** Probatio haec, in eo maxime consistit, ut nullus sibi conscient peccati mortalis, quantumvis contritus videatur, ad rem divinam manum admoveat, antequam Poenitentiae Sacramento culpam deleat, excepto solum necessitatis urgentis casu, qui si configerit, contritionis actum summo studio eliciat, et confessionem sacramentalem quamprimum peragat.

2-o Nemo absque praevia praeparatione ad Sacrum Missae Sacrificium celebrandum accedat, ac in celebratione omnes sacros ritus, quos Ecclesia instituit, solerti, ac summo studio custodiat; quem in finem juvabit generales rubricas, et quae de ritu servando in celebratione Missae, et defectibus occurrentibus in

1) I. ad Cor. XI. 28, 29.

Missali Romano conscripta sunt, saepius perlegere. Nihil enim ibi est superflui, nihil non ad aedificationem. Antequam assumat paramenta, in sacraria lavet manus, et linteo extergat, indutus autem, capite bireto tecto procedat ad aram, ibique omnia summa cum attentione, reverentia, et spiritu fervore peragat, vietando festinationem aequae ac tarditatem, et peracto Sacrificio, in summa animi recollectione gratiarum actionem perficiat. Haec constans ad aram pietas, tam sacerdotis animum ad caeteras muneras sui partes sanete implendas accendet, et roborabit, quam et fideles ad religionem, pietatem, et virtutem toto pectori complectendam mirum in modum impellet.

3-o Paramenta sacra in Missa adhibenda, correspondant constanter colori in rubricis Missalis et Directorio exposito. Rubrica Missalis quinque commemorat colorum genera: album nempe, rubrum, viridem, violaceum, et nigrum: idecirco color flavus, vel caeruleus, nec substitui potest colori albo, seu in Sacrificio Missae, seu in Expositione SSmi Sacramenti¹⁾

4-o Quoniam quoad celebrationem Votivorum, et Missarum pro defunctis, saepe contingit errare, et dubia emergere, instar cynosurae sequentia observanda erunt:

Missae votivae (privatae) ad arbitrium Sacerdotis dicendae, vel ad instantiam fidelium expetitae (licet cantatae) prohibentur in omnibus duplicibus 1-ae et 2-ae classis, et praeterea in omni festo duplice majori, et minori, item Dominicis per annum, insuper per Octavas privilegiatas: uti Epiphaniae, Na-

1) S. R. C. 16-a 16-a Martii 1833. et 23-a Sept. 1837.

tivitatis, et Resurrectionis Domini, Corporis Christi, item in vigiliis Nativitatis et Epiphaniae Domini ac Pentecostes, et in Commemoratione OO. FF. Defunctorum. Eo minus vero admittitur his diebus Missa lecta.

Missae de Requiem, in Missali sic dictae quotidianae, celebrari nequeunt etiam cantatae in duplicibus. Idem locum habet quoad Missas etiam letas, si igitur tali die instantins petantur Missae pro defunctis, seu cantatae, seu lectae, dicantur de festo occurrente, cum applicatione Sacrificii iuxta mentem benefactorum. Ast hac de re praevie admonendi, et instruendi sunt populi, ne scandalo afficiantur, alioquin fructus Sacrificii etiam sic applicatur defuncto, neque praevalere debet voluntas potentis ordini et ritui Ecclesiae.

Generatim in Ecclesiis parochialibus, quando una tantum celebratur Missa, diebus Dominicis et festis, quibus Parochi, parochiarum Administratores, sive perpetui, sive ad tempus constituti, et Capellani locales sacrificium pro populo offerre obligantur, Missa de Requiem nullatenus habet locum, neque unquam, dum ss. Sacramentum publicae venerationi est expositum.

5-o. Salvator Mundi, divinum Sacrificium, quod in coena instituit, a discipulis, sacerdotibusque suis ubi vis terrarum, omnibus diebus usque consummationem saeculi offerri praecepit: **"Hoc facite in meam commemorationem."** Quare meminerint cuncti Sacerdotes, imprimis animarum Curatores, Sacrificium hoc non solum diebus Dominicis et Festis solennibus,

sed nisi legitima causa impedianter, quotidie devote offerre. Monet quoque Concilium Trid. Sess. 23-a cap. 14. ut qui curam animarum habent, presbyteri, tam frequenter Missas celebrent, ut muneri suo satisfaciant; cui haud respondet, qui sanctissimum hoc opus levi de causa intermittit.

6-o. Missae cum onere perpetuo, seu fundatae, suscipi non possunt, nisi accedat Episcopi acceptatio, adprobatae autem, et coordinatae ad mentem fundatoris, religiose persolvendae sunt. Si accedit ut sors fundamentalis absque Beneficiarii, aut Administratorum culpa imminuat, aut pereat, iis, quibus Missas celebrandi obligatio incumbit, earum numerum pro arbitrio suo minuere, aut eas penitus omittere non licet, sed ad Episcopum, facultatibus Apostolicis munitum, configiendum erit. Ut appareat quanta sollicitudine curet Ecclesia, ut piae fundatorum menti satisfiat: disponimus: ut Missarum fundatarum, non secus et dierum, quibus illae persolvendae sunt, consignatio in sacristia cujuslibet Ecclesiae palam exponatur; imo ad augendam hujus intuitu fiduciam in animis fidelium, celebratio harum Missarum praecedenti die Dominica fidei populo praevie annuncietur.

7-o. Vinculum charitatis, quod sacratos Deo homines, in hac mortali carne positos, arcte coniungit, aequum est, etiam dimissa corporis evanidi sarcina, indissolubile permanere. Huic sapientissimo consilio succurrit b. m. **Sigismundus Berényi** Episcopus Quintque-Ecclesiensis, dum dto 27-ae Martii 1747 suffragiorum communioinis Confoederationem pro Dioecesi hac instituit, omnesque Sacerdotes ad Sacra numero

tria, pro uno quoque defuncto Confratre, accepto mortis nuncio, statim celebranda obligavit. Confoederationem istam Synodus haec ratihabet, et confirmat, omnesque tam modernos, quam futuros istius Dioecesis Sacerdotes in conscientia obligatos esse enunciat, ut pro refrigerio animae defuncti dioecesani Presbyteri tres Missas, pro refrigerio animae defuneti vero Episcopi sex Missas, Deo omnipotenti, habita obitus notitia, sine longiori dilatione celebrare teneantur.

8-o. Cum Apostolus enunciet: „**Qui altari de-serviunt, cum altari participant**“¹⁾. Sacerdos qui-vis pro libera Missae applicatione pecuniam accipere potest, non quasi pretium consecrationis Eucharistiae, sed tanquam stipendum sustentationis; quia dignus est operarius mercede sua. Nihilominus omnes in hac re exactiones, mercedum pactationes, et postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labo, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, severissime prohibita sunt, obligaturque quivis taxae dioecesanae se conformare, ut plus neutiquam exigere possit; quamvis nulla lex prohibeat, quominus fideles pro sua liberalitate plus dare possint. Sub poena suspensionis ipso facto incurriendae, et Summo Pontifici reservatae, prohibitum est, ne sacerdos, quicunque largius, vel etiam usitatum stipendum accepit, partem illius sibi retineat, onusque celebrandi in aliud transferendo, minus ei stipendum, licet consensisset, reddat. Alia tamen est Missarum fundatarum conditio, quae dotem quodammodo beneficii constituumt, eas enim is, cui

stipendum adjunctum beneficii titulo debetur, legitime impeditus, per alium sacerdotem persolvere potest, retenta ea stipulis parte, quae stipendum ab Episcopo constitutum superat. Exempli causa: quidam pro uno Missae sacrificio legat vineam, dotis tamen parochialis augendae causa; minus certe justum foret, si parochus aegritudine, aut aliter impeditus, sacrum hoc persolvendum alteri committeret, simul etiam ad totum vineae proventum eidem pro sacro hoc actu resignandum stringeretur; justa tamen eundem manet obligatio, summam stipendi per Ordinarium stabilitam dare ei, qui vice ipsius fungebatur.

Quamvis autem sacerdos minus etiam stipendum taxâ dioecesanâ acceptare possit, attamen hoc eo fine facere, ut quo plura stipendia conquerat, turpem quaestum sapit, et damnum est. Quisque tot Missas celebrare utique gravissime obstrictus est, quot stipendia suscepit; ne autem diu inexsolutae maneant, statuimus, nequis plures acceptet, quam quot intra duos menses persolvere valet.

Siquidem sacra Congregatio Concilii eleemosynam pro qualibet Missa definire Episcoporum arbitrio commiserit, ejusque taxatio ut plurimum in synodo fieri consvererit; ordinamus et enunciamus: stipendum unius Sacri lecti manuale in 50 x-is a. w.; unius Sacri cantati manuale in 1 fl-no a. w. consistere.

Quoad sacra fundata, et fundanda vero confirmamus ordinationem die 21-a Junii 1858. sub Nro. 1050
1858 stabilitam, vigore cuius

- a) omne Sacrum lectum debet habere 20 fl. cm.
dotem fundacionalem

1) I. Corinth. IX. 13.

- b) omne Sacrum cantatum sine Libera 40 fl. cm.
 c) omne Sacrum cantatum cum Libera 60 „ „
 Salvâ quoad L. Regiamque Civitatem Quinque-Ecclesiensem contenta ibidem ordinatione.

§. 6.

De Sacramento Poenitentiae.

Quoniam Curati, et Confessarii quoad ea, quae in administratione Sacramenti Poenitentiae observanda veniunt, in Rituali praescripto, et Decreto Synodi Provincialis Strigoniensis, uberem instructionem reperiunt, eos illic remittimus. Addimus tamen nonnulla, quae ad zelosam hujus Sacramenti administrationem, et vi-
tandos quosdam in praxi defectus pertainent.

Infinitae misericordiae divinae institutum est Sacramentum Poenitentiae, per quod ex peccatoribus, post baptismum lapsis, justi; ex filiis irae, filii Dei, et haeredes aeternae salutis efficiuntur; ideoque a sanctis Patribus secunda post naufragium tabula appellatur. „**Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat**¹⁾“ invitatque ad se omnes „**Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos**²⁾“. Propatulum hinc est, quam gratum Deo opus faciant, et quantum meritorum copiam pro propria salute sibi congregent, qui in administrando hoc Sacramento, et vera conversione animarum, assidue laboraverint. Idecireo

1) Ezech. XXIII. 11.

2) Matth. XI. 28.

a) Curator animarum omni tempore paratus promptusque sit ad ministrandum Sacramentum Poenitentiae, quoties ad hoc a fidelibus expetitur, amanter eos excipiat, nullum poenitentem (nisi gravi necessitate exigente) ad aliud tempus releget, vel ad alium Confessarium inviet. Caveat quoque ne verbis aut signis locum det suspicioni, quasi aegre munus suum obeat; his enim et similibus fideles contristantur, et a suscipiendo hoc Sacramento abalienantur, deterrentur.

b) Sacerdos, praecipue Parochus studeat ad sanctam hanc functionem magnam adferre charitatem, quae patiens sit, benigna sit, non aemuletur, non infletur, non agat perperam; nunquam sive taedium, sive admirationem, indignationem ostendat, etsi quandoque circumstantiae exigant aliquem reprehendere, nunquam tamen eum convitiis onerare, aut etiam solum asperius cum eo agere licet. Meminerint majus esse gaudium in coelo super uno peccatore, poenitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia, et pluris sit, animam coelo lucrari, quam thesauri totius mundi.

c) Cum Confessarii iudicis, doctoris, et medici munus obire debeant, illos tantum obsolvere possunt, de quibus prudenter praesumere licet, eos omnia peccata gravia, quorum consciit sunt, eorumque numerum, et speciem confessos esse, sed et contritum cor habere, quod Deus non despicit. Quos tamen haud ita dispositos deprehenderent, non statim repellant, sed ut recte dispositi evadant, pie adlaborent; eo igitur dirigant omnem conatum, ut et integra eva-

dat confessio, et confitens ad peccatorum agnitionem nec non sincerum de iis dolorem, firmum denique et efficax emendandae vitae propositum perducatur.

d) Doctoris munus exigit a Confessario, ut poenitentem instruat, et doceat: quare summopere reprobanda est illorum consuetudo, qui vix peccatis obiter auditis, et aliqua satisfactione injuneta, ad absolutionem procedunt. Tenetur Confessarius poenitenti instructionem quoque et admonitionem dare tum ad ejus emendationem, tum ad studium virtutis excitandum, et hunc in finem aptissima media suppeditare.

e) Quoad poenitentias imponendas, habeant prae oculis illud monitum Concilii Trid: ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem¹⁾. In poenis vindicativis ratio est habenda adjuncorum status, valetudinis, laboris, officiorum, et paupertatis, ideoque sint circumstantiis poenitentis congruae. In poenitentiis medicinalibus attendendum est, ut sint peccatis oppositae, quaeis malorum radices resecantur, mali habitus tollantur, pravae cupiditates coercentur, peccati occasiones evitentur. Proin avaris eleemosynae, libidinosis, item gulae, ebrietati obnoxii, jejunia, vel aliae corporis afflictiones; superbis, humilitatis officia; invidis et odio proximi laborantibus, charitatis opera; desidiosis, devotionis studia; in peccata facile recidentibus frequentior Confessio et Communio injungenda veniunt.

1) Sess. XIV. Cap. 8.

f) Salubriter praescribitur in Rituali Romano Provinciae Strigoniensis, ut in Ecclesia adsit sedes confessionalis, in qua Sacerdos sacras Confessiones excipiat, quae in patenti, conspicuo, et apto Ecclesiae loco sit posita, et erate perforata inter poenitentem et Sacerdotem instructa. Ordinamus idecirco: ut in Ecclesiis quibusvis parochialibus, filialibusque, in quibus cultus divinus celebratur, huiusmodi sedes confessionalis absque dilatione procuretur. In Sacristia nullae regulariter confessiones excipientur, praecipue foeminarum, nisi in magno concursu necessitas aliud postulaverit, pluribus tamen adstantibus. Prohibitum autem omnino est in cubiculis privatis, aliisque locis extra conspectum positis, excepto casu infirmitatis, et tunc etiam patente semper ostio, confessiones, praesertim foeminarum, excipere. Provectae aetatis, et fractarum virium Sacerdotibus, qui hyberno tempore frigoris rigorem absque jactura sanitatis in Ecclesia sustinere non possent, admittimus, ut rigido hyemis tempore confessiones etiam in cubili patente janua excipere valeant. Idem locum habere potest, dum surdastri, eminentionis classis individua, et sacerdotes vel clerici exaudiendi sunt.

g) Nullus in Dioecesi sacerdos Sacramentum Poenitentiae extra articulum mortis valide administrare potest, quam qui ab Ordinario ad hoc approbationem et iurisdictionem obtinuit. Concedimus nihilominus, ut Parochi, parochiarumque Administratores, tempore indulgentiarum, et majoris concursus populi, aut alia justa de causa, vicinarum Dioecesum sacerdotes, ab illorum Ordinariis approbatos, et admissos, in subsi-

dium adhibere valeant, quibus eum in finem concedimus facultatem in limitaneis Dioecesis Nostrae parochiis, confessiones excipiendi, et fideles absolvendi.

ii) Videant quoque Sacerdotes diligenter, ne limites jurisdictionis sibi concessae transgrediantur, a peccatisque absolvant (praeterquam in articulo mortis) sive summo Pontifici, sive Ordinario reservatis. Casus Reservati in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi, a quibus nemo, seu saecularis, seu regularis sacerdos sine speciali expressa facultate Ordinarii absolvere potest, sunt decem sequentes: Haeresis externa, Ra-
ptus, Incestus, Procuratio abortus, Bestialitas, Incen-
dium animo nocendi excitatum, Violatio Ecclesiae, Homicidium voluntarium, Percussio parentum graviter injuriosa, Falsificatio monetarum, ponderum, et mensu-
rarum. Coneubinarii vero absolvi non possunt, nisi dimittant coneubinas. Casuum horum explicatio in Appendix sub Nro. I. continetur.

§. 7.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Cum magnopere curandum sit, prout ait Ritu-
ale praescriptum, ut Sacramentum hoc periculose ae-
grotantibus eo tempore conferatur, cum in illis adhuc
integra mens, et ratio vigeat, ut ad ubiorem gratiam
Sacramenti percipientam, ipsi etiam suam fidem, ac
piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro
liniuntur oleo; constet autem falsam illam opinionem
apud populum etiam huius Dioecesis regnare, accepto
hoc Sacramento sanitatem amplius haud reddituram,

ideoque ejus susceptionem ad extrema usque differendam esse, quando ut plurimum omni sensu caret moribundus: doceat ideoce parochus fideles suos, homini christiano nihil potius esse debere, quam ut sensibus, rationisque usu adhuc integris, hoc tam salutare animae, corporisque remedium suscipiat, neque se ab hoc, seu medicorum pollicitationibus, seu propingvorum, amicorumque blanditiis retrahi sinat, cum praesertim vi huius Sacramenti, praeter reliquiarum peccati abstersionem, et gratiam animae infusam, qua infirmus sublevatus, morbi incommoda et labores lenius fert, et temptationibus daemonis facilis resistit¹⁾), insuper corporis etiam sanitas interdum conferatur, si nimis saluti animae expedierit; ideoque, gravis peccati reatum contrahant omnes, quorum culpa aut negligentia moribundi hoc Sacramento seu privantur, seu ejus susceptio ad agonem usque differtur.

Quoad reliqua in administratione huius Sacra-
menti observanda, Curatores in Rituali et Decretis
Synodi Provincialis, ubiorem instructionem reperient.

§. 8.

De Sacramento Ordinis.

Nihil profecto excellentius est Sacerdotum di-
gnitate, qui utpote vi Sacramenti, divinitus instituti,
eo charactere, eaque potestate insigniuntur, quae o-
mnem etiam angelicam potestatem superat. Ipsi enim
sacrosanctum et immaculatum Deo offerunt sacrificium
Corporis et Sangvinis Christi, propriam habent et exer-

1) Conc. Trid. Sess. XIV. de extr. Unct. c. 2.

cent potestatem remittendi peccata, homines per Baptismum membris Christi inserendi, verbum Dei praedicandi, et mysteria divina dispensandi.

Hinc est, quod Ecclesia ommem semper sollicitudinem adhibuerit, omnemque solertia insumserit, ut juxta Concilium Tridentinum¹⁾ dignis dumtaxat, et quorum vita esset probata, manus imponerentur; neque aliis aditus ad sacerdotium pateat, quam qui per jugem, et exemplarem morum integratatem, ac sedulam in litteris operam se distingverent.

Quae ex hoc obtutu Episcopi Provinciae Strigoniensis curanda, et observanda sibi praefixerint, inter Decreta Synodi Provincialis de Ordine, expressa sunt. Ast, cum causa communis sit, et filialis amor, quem omnes presbyteri, et praeceps parochi erga s. matrem Ecclesiam habere debent, ipsos quoque obliget pro viribus ad id conferendum, ut quo praestantiores, digniores, ac utiliores Altaris ministri quandam sibi successuri obtineantur: omnes per amorem Jesu Christi, ss. Religionis, Ecclesiaeque nostrae honorem, et prosperitatem hujus almae Dioecesis hortamur, ut sua quoque ex parte, ad hunc finem adjumento sint, et pro viribus cooperentur. Idcirco

a) Curam omnino habeant puerorum in suis parochiis, qui spectato ingenio, indole, morum innocentia, et pietate peculiariter se distingvunt, quive eapropter vocationem ad statum ecclesiasticum merito habere censentur; instillent eis amplius amorem virtut-

1) Sess. XIII. c. 12-o.

tis, et scientiarum, zelum religionis, et propensionem ad statum ecclesiasticum.

b) Si necesse esset, reflectant parentes illorum, ut aestimant, seque felices reputent, quod filium talis habeant, eumque pro gloria Dei altari sacrari haud difficultent.

c) Contra, aspirantes ad hunc statum, quos spectatis ad hoc requisitis, inidoneos, ineptosque judicaverint, nedum animare, sed potius a proposito removere opportune studeant.

d) Cum Clerici antequam ordinentur, per ferias autumnales in parochiis commorenentur, caveant, ne testimonium bonum de illis secus reddant, quam si exemplari conversatione illud promeriti fuerint. Similiter quos subinde per districtualem Congregationem ad Seminarium puerorum recipiendos, commendare proposuerint, sine ullo humano alio respectu, sed ex sola consideratione, et motivo praestantium qualitatum Ordinariatu praesentari curent.

§. 9.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium ad conservationem et propagacionem humani generis a Creatore institutum, et in novo Testamento per Salvatorem mundi ad gratiam Sacramenti elevatum, singularem exposcit curam pastoris animarum; est enim plantarium Ecclesiae non minus, quam Societatis civilis, et a bene moratis, et religiosis familiis salus, et prosperitas utriusque reipublicae dependet plurimum. Quapropter

!(23.)

1-o. Cum hoc, quo vivimus, tempore matrimonii saepissime non tam ex fine institutionis suaे, mutuoque amore, quam potius ob commodum aliquod terrenum, ad acquirendam, augendam, aut consolidandam rem familiarem, consequendum officium, honorem et accomodationem etc. etc. ineantur: admoneant pastores animarum omni opportuna occasione parentes et nupturientes, ne praepostero hoc studio, ex quo infelices plerumque sequelae dimanan, infascinari se sinant. Instillent eis summam dignitatem foederis matrimonialis, quod Apost. ad Ephes. IV. „**Sacramentum magnum vocat, in Christo et in Ecclesia**“ ad quod proinde suscipiendum rectam animi dispositionem adferre oportet.

2-o. Pari modo studeant removere cuncta, quae dignae susceptioni hujus Sacramenti, et gratiae divinae consecutioni cum eo conjunctae obstare solent. Deus quippe ad alleviandum jugum matrimonii, specialem concedit conjugibus gratiam ad perpetuam viatae societatem, mutuum adjutorium, et solatium; pie denique et sancte educandam sobolem; unde fides intemerata, constans amor, mutuum obsequium, concordia, et beatitas quaedam conjugum efflorescit. Hac gratia haud potiuntur, qui matrimonium temere, ad explendam solam libidinem, et in peccato gravi inuent; neque dubium, ex defectu rectae intentionis, debitae præparationis, et prava dispositione, tot provenire inter conjuges discordias, odia, atroces pugnas, divortia, neglectumque christianaæ educationis prolium, quae ipsae, malo exemplo parentum, mature depravantur.

3-o. Admoneant et hortentur nupturientes, ut damnabiles quasvis conversationes, quae sub ineundi matrimonii specie, insciis parentibus foventur, fugiant; personas, occasiones, et conventicula, unde castitati, aut famae suaे periculum imminet, studiosissime devitent, haec enim cuncta, nequaquam ad felix conjugium, sed potius ad maximas ejus infelicitates perducunt.

4-o. Non absimiliter admonendi sunt, qui in aetate nubili constituuntur, ne unquam eidam secreto ad matrimonium se deobligent, seu clanculo sponsalia ineant, inde enim passim magna animarum pericula, et multa mala sequuntur: saepe seductio ad libidinem, defloratio, infractio sponsionis ex adversa parte locum habent, et si resiliens, aut seductor factum et commissa neget, sedueta omni medio probandi destituitur. Pietas quoque erga parentes exigit, ne filii-familias iis insciis, vel justis ex causis dissidentibus, tam grave negotium, et onus suscipiant. Advertendum quoque, ex sponsalibus etiam absque testibus valide initis, impedimentum publicae honestatis enasci, quod nullum reddit matrimonium inter sponsum et consanguineos sponsae in primo gradu, ac vicissim, idque etiamsi sponsalia in se valida postea fuerint quomodounque dissoluta.

5-o. Frequenter contingit, ut post obitum unius conjugis, alter superstes proximum ejus consanguineum vel affinem in primo vel secundo gradu, oeconomiae causa, aut sub alio aliquo titulo in domum recipiat, sicque propter terrenum aliquod commodum, semet gravissimo periculo animae exponat. Experien-

tia docet hujusmodi cohabitationem sub eodem tecto, praecipue diutius protractam, fere semper ad lapsum, et abominabilem incestum deducere, et praeter grande peccatum, ac scandalum, enormes molestias tam partibus ipsis, quam euratoribus animarum, et Officio dioecesano causare. Quare parochi et parochiarum administratores conentur omni studio, et diligentia, consilio et adhortatione, hujusmodi personarum cohabitationem, de quibus spes non est, ut matrimonium inter eas coalescere possit, aut praevie impedire, aut saltem remoto proximo periculo ad brevissimum tempus restringere.

6-o. Pastores eos, qui matrimonium inire volunt, sedulo in rudimentis fidei instituant, neque enim matrimonio jungendi sunt, sive mares sive foeminae, si, quae ad salutem necessaria sunt, ignorent. Instruendi quoque sunt in obligationibus status, quem ingressuri sunt; nec non monendi, in specie de gravissimo officio pie et christiane educandi sobolem, denique, ut antequam matrimonium contrahant, sua peccata confiteantur, et ad sanctissimam Eucharistiam pie accedant.

7-o. Postquam parocco de libero utriusque sponsi consensu bene constiterit, nullumque ex praemissis examine impedimentum ipsi innotuerit, proclamations instituat in Ecclesia inter Missarum solemnia, tribus dominicis vel festivis diebus, ita tamen, ut inter unam et alteram denunciationem intervallum unius saltem diei intercedat; eo die autem, quo ultima denunciatio facta est, matrimonium non debet celebrari; quodsi vero post ultimam denunciationem illud ultra

sex menses protractum fuerit, eae denuo rependetiae sunt.

8-o. Dispensatio in una, aut duabus promulgationibus, tantum ex legitima, justaque causa petenda est. Si autem impedimentum, quod matrimonio obstat, detegatur, et graves canonicaeque rationes suadeant petendi relaxationem impedimenti alicujus dispensabilis, parochus accuratissima diligentia prius inquirat in veritatem adductorum motivorum, et si ea realia et gravia repererit, (rationem bonorum tantum fortunae Ecclesie non habet), tum recursum pro dispensatione cum clara et circumstantiali expositione motivorum formare potest, his vero deficientibus, nullis fidelium precibus se induci sinat ad recurrendum. Idem tenendum etiam de petenda dispensatione quoad matrimonia tempore pomeridiano jungenda.

9-o. Non intermittent Parochi singulis annis circa Epiphaniam, in una vel altera concione caste et prudenter de matrimonio sermonem facere, ejus impedimenta tum impudentia, tum dirimentia, saltem maxime obvia, et communiter in praxi occurrentia clare, et ad intellectum fidelibus facil modo exponere; hortentur parentes, ne ullo modo liberos ad matrimonium generatim, vel cum certis personis cogant, sed persuasione tantum et rationibus ad consensum inducant; filios autem et filias vicissim moneant, ut non contemnant in re tanti momenti parentum aut cognatorum sana consilia; praemuniant omnes a pernicioso errore, in collocandis filiis et filiabus fere solum ad bona fortunae esse respiciendum, doceant denique ipsos revereri Ecclesiae sanctissimam intentionem, et sollicitudinem

de salute suorum fidelium, quam tam circa contra-henda mixta matrimonia, quam etiam in caeteris im-pedimentis prae oculis semper habuit, et constanter praesefert.

10-o. Quoniam ad licite et valide administrandum matrimonium, speciatim mixtum, multa atten-denda et observanda sunt, ea ex Jure Canonico, De-cretis Concilii Provincialis Strigoniensis, et Rituali Eju-sdem Provinceiae, denique e Litteris currentalibus dio-cesanis, haurienda, saepius relegenda, et in memoriam revocanda erunt.

TITULUS TERTIUS.

De Cultu Divino.

§. 1.

1-o. Etsi Deus in se perfectissimus, et beatissimus cultu nostro non indigeat, „**nec enim indigens est aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem et omnia**“ Act XVII. 25. cum tamen homo totus, a Deo tamquam Creatore suo, mundi hujus Gubernatore, et fine suo ultimo pendeat; ratio ipsa poscit, graviterque urget, et Deus ipse non velle non potest, ut homo his vinculis convenienter se gerat, hoc est, ut Deum colat. Sane contemplationi Dei intentus cito intelligit immensum esse divinitatis et divinarum perfectionum pelagus, unde imbecillitatem et infirmi-

tatem mentis persentiscens id aget, ut adoret, et re vereatur divinam ejus immensitatem. Cum porro Deus, quidquid perfectionis, quidquid boni, quidquid pulchri est, infinite in se contineat; idecirco mens creata, non potest non ex eo voluptatem et inclinationem in Eum haurire, adeoque Deum summe bonum non amare. Ex infinita Dei bonitate, sapientia et omnipotencia suapte fluit fiducia, et acquiescentia in Ejus voluntate, ac providentia, prout et obedientia et promptitudo faciendi, quod Deus vult. Sequitur denique ex hac contemplatione invocatio Dei in casibus praecipue ad versis auxilii impetrandi causa, et poenitentia, dum culpae et offensae divinae reos nos sentimus.

In piis his affectionibus, ac motibus voluntatis erga Deum consistit utique cultus divinus, et si in animo tantum interne continetur, Internus dicitur, si vero etiam verbis et actionibus declaratur (prout naturae aequa, et rationi, ac divinae voluntati con sentaneum est) etiam Externus erit. Determinatus autem modus cultum Deo exhibendi, Religio dicitur, quae Deo nos quasi alligat; neque tamen religio absolvitur solis actionibus, quae Deum et Ejus vene rationem immediate respiciunt, verum ad eam per tinent etiam actiones, quae nos ipsos, aliosve propter Deum, ex Ejusque voluntate attingunt.

2-o. Si omnia circumspiciamus naturae praecepta, nullum sanctius, vel certius esse potest, quam id, quo Deo obstringimur, atque ad Eum honorandum, amandum, colendum, Eique obtemperandum obligamur. Hujus sane officii neglectus, Deique oblivio humanam societatem in eam profundam malorum

voraginem demersit, in qua hodie conspicitur; omnia quippe nutare necesse est, cum Ipsius etiam Supremae Majestatis, Cui debetur omnis honor et gloria, ac Cujus summum in se imperium agnoscere, et profiteri tenetur homo, iura laeduntur, ac proculantur, sublato namque religionis erga Deum officio, nulla alia agendi norma superest, quam ut sorti quivis suae quounque demum modo prospiciat, nihilque jam impedit, quominus fraus, simulatio, vis, et praepotentia, juris loco habeatur, omnis vitae, morumque honestas tollatur, et firmissima humanae societatis vincula solvantur.

Contra, sincerus et verus Dei cultus, nos caros Ei reddit, et solus veram felicitatem affert, omnis quippe virtutis et honestatis principium est, eoque nos perducit, ut nemini injuriam inferamus, nihil iniqui, nihil dishonesti faciamus, etiamsi occultum mansurum sciremus.

Quapropter quicunque zelum habent religionis, sacerdotes, imprimisque pastores animarum, nihil praetermittant, ut inducant populi ad Deum ardentius amandum, venerandum, adorandumque, in spiritu quidem, quia „**Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.**“¹⁾) sed etiam per externam cultus interni demonstracionem. Sed imprimis meminerint iidem pastores animarum, dum voce alios ad amorem et cultum Supremi Numinis excitant, ut praedicationem suo exemplo confirment; ardeat ante omnia in nobis ipsis ignis

1) Joan. IV. 24.

divinae charitatis, occupet prius cor nostrum ardor pietatis, et reverentiae erga Deum, ut alias accendamus; neque enim quis dare et communicare potest aliis, quod non habet.

3-o. Inter ea, quae in Ecclesia Catholica ad cultum divinum publicum pertinent, sunt nonnulla per ipsum Salvatorem Nostrum Jesum Christum instituta, uti sunt: Sacraenta, s. Missae Sacrificium, verbi divini praedicatio; alia ab Apostolis per traditionem derivata, alia denique ab Ecclesia praecripta, uti plures sacri ritus in sacrificio Missae, in administratione Sacramentorum, et Sacramentalium; preces denique et hymni, qui in re divina peragenda adhibentur. In his igitur ministri altaris ita versentur, ut omnia attente, devote, et reverenter, rubricisque conformiter tractent, cum enim omnes ritus signacula sint pietatis et religionis christiana, sicut pie et sancte sunt inventi, ita religiose quoque custodiendi sunt, ita ut vetitum sit, quidquam in iis seu negligere, seu mutare. Similiter

4-o. Ea, quae ad augendum cultus divini decorum per Synodum Provinciale Strigoniensem partim praecripta, partim commendata sunt, rectores Ecclesiarum studiosissime, ac pro viribus expleant. Satalogant: ut Ecclesiae semper sint mundae, altaria, paramenta, et quaevis utensilia nitida, ut inde quoque reluceat, quanta veneratione prosequantur Supremum Coeli Dominum, qui in aedibus nostris habitat, et cui cultum nostrum exhibemus.

5-o. Ut in cultu divino ordinate omnia, et decenter peragantur, statuantur insuper sequentia:

a) Ut nullus parochorum pro suo arbitrio horam inchoandorum divinorum immutare audeat, sed servetur ubique illa, quae in Statutis Visitationum Canonistarum constituta est.

b) Missa parochialis cantata, eum concione, aliisque adjunctis, ultra sex horae quadrantes non duret, ut sic filialium possessionum incolae commode domum reverti volentes, tanto alacrius ad divinum cultum conveniant.

c) In Ecclesiis, ubi duae celebrantur Missae, inter primam et solemnem Missam sufficiens sit intervallum temporis, ut fideles possint alterutri commode interesse.

d) Puerorum quoque, Missae inservientium, specialis cura habenda est: non nisi optimi, pietate, et modestia insignes seligendi sunt e scholaribus, et admittendi. Exactissima autem iis disciplina praescribenda est, in Ecclesia et Saeristia, et quemadmodum aeditui, ita et hi veste talari induiti assistant, procurantur quoque eis coturni, vel calceamenta ex aeraario Ecclesiae, quae unice huic usu deserviant.

e) Tempore divinorum scandala Ecclesiarum promiscue viri et foeminae non occupent; verum viri a mulieribus segregati; illi quidem latus Epistolae, seu dextram, hae vero latus Evangelii, seu sinistram partem sedilium occupent. Ita pariter juvenes et pueri a virginibus separatim collocentur; scholaribus aram circa eircum stipantibus.

f) Constituantur vigiles, et observatores, qui in Ecclesia et choro, si inde juventus propter angustiam templi excludi forsitan non posset, quasvis inconve-

nientias impediunt, juventutem in officio contineant, tum etiam curam adhibeant, ne aliqui durantibus divinis extra Ecclesiam consistant, vel circa Ecclesiae murum sedendo, vel confabulando tempus consummant.

6-o. In Ecclesiis nihil omnino toleretur, quod intuentum oculos offendere posset; imagines sint decorae, quae pietatem excitant, nihilque contineant, quod superstitionem sapiat; statuae superfluo ornata, vestibusque contextae non exhibeantur. Videant etiam Ecclesiarum rectores, ne ipsis insciis, aut invitis imagines in templis pingantur, vel appendantur; imagines vero notabiliter laceratas, crucis et statuas diffractas, et deformatas non tolerent. Absque debitae ecclesiasticae potestatis et auctoritatis licentia, nova altaria non erigantur, novae imagines, picturae, vel statuae non conficiantur, antequam earum exemplar, seu adumbratio fuerit adprobata; ast nec antiqua fixa altaria diruantur, vel monumenta destruantur, sine annuente Ordinariatu.

7-o. Sicut licitum haud est, novam Ecclesiam, vel Capellam sine Ordinarii licentia, scripto expressa, exstruere: ita quoque vetitum est, antiquam ubicunque sitam diruere, aut ad usus profanos convertere.

8-o. Scamna sint in Ecclesia numero sufficientia; ast distincta, portulis et sera provisa, pro privato usu, nemini facile concedenda sunt, praeterquam jus patronatus habentibus, illudque exercentibus.

9-o. Pias et laudabiles consuetudines in Dioecesi hac vigentes, uti sunt: gratiarum actio in conclusione anni, devotio in Vigilia OO. FF. Defunctorum, et si quae sunt aliae auctoritate episcopali constitutae, eas

porro etiam observari, et retineri volumus, et disponimus.

10-o. Cordi habeant magnopere animarum Curatores, ut cultus divinus etiam pomeridianus, et Lytaniae ad vesperam dierum sabbathi, diligenter frequententur, sed et devotus cultus domesticus in familiis fidelium sibi creditorum conservetur, aut ubi defecit, restauretur, prout hoc saluberrime Synodus Provincialis Strigoniensis inculcavit et commendavit: sicut enim messis a semine, ita sanctificatio hominis a primaeva institutione pendet. Doceant igitur et hortentur patres et matresfamilias, ut liberis suis amorem Dei, Jesu Christi, et virtutum christianarum; odium vero et horrorem peccati mature instillent, et eos assu- faciant orationi, et bonorum operum exercitio, remo- veant vero cuncta, quibus ad vitia et corruptionem pertrahi possent.

Hoc fine ipsi coram Deo ambulent justi, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, quatenus nihil videant, vel audiant liberi, quod scandalum ipsis praebere posset. Servent cum ipsis communes preces mane, ad meridiem, et vesperam, cum Salutatione Angelica, ante prandium, coenam, et decubitum; cuncta denique devotionis christiano catholicae exercitia, apud pias familias fidelium usitata, quaevae ipsis a parentibus suis per traditionem acceperunt, ad suos quoque haeredes, et posteros religiose transmittere omnimode satagant.

§. 2.

De Verbi Divini Praedicatione.

Quam sublime et excelsum sit verbi divini praedicandi munus, vel inde patet, quod ipsi sancti Apostoli tamquam proprium illud sibi vindicaverint. „**Non est aequum**, inquit illorum princeps Petrus, **nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis;** videte ergo viros boni testimonii, quos constitutas super hoc opus, nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus.“ Act. VI. Quare cum Sacerdos vi ordinationis suae, (cum debita tamen subordinatione) ad verbum divinum praedicandum destinatur: hinc Curatores animarum merito maximi facere debent munus praedicandi propter sublimitatem, et excellentiam officii, illudque omnibus viribus adimplere, propter gravissimam obligationem, quae ipsis incumbit; speciatim:

Decreuit Cone. Trid. Sess. V. C. 2. de Reformatione: „**Archi-Presbyteri, Plebani, et quicunque parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua, et eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et**

virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam assequi valeant.“

Haec igitur semper prae oculis habeant animarum Curatores, ut illis sese conforment; eundem finem sibi praestituant, ob quem Salvator de coelo in terram descendit: „**Ego, inquit Joan. 10-o., veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.**“ proinde sacer orator aequa omnia, quae in concionibus dicit, aut dicere intendit, ad eum scopum dirigat, ut peccatores a peccati morte resurgent, et vitam gratiae recuperent, et ut justi in vita spirituali proficiant; ad quem scopum, ut pertingat, opus est, ut doceat, et moveat; i. e. ut auditorum (mentem), intellectum illuminet, et permoveat voluntatem; ut virtutum decorum, et pulchritudinem, vitiorum vero horrorem, ac foeditatem ob oculos ponat, unde illarum amor, et praxis, horum vero detestatio, et fuga sequatur.

Ut autem salutarem laboris sui fructum ferant, necesse est, ut diligenter omnino se ad concionem praeparent, ne res sine ordine et nexu, atque ad scopum haud pertinentes proponant; sermoque sit loco, tempori, et auditorum capacitatii accomodatus, nec non solidis argumentis, ex sacra Scriptura, Conciliis, sanctis Patribus, et ratione desumptis, comprobatus. Ut porro juxta monitum sacri Concilii, praedicatione sit capacitati auditorum attemperata, abstineant praedicatores coram rudibus, et indoctis alta nimis et difficilia tractare; quae vero utilia, attamen illis intellectu difficilia videbuntur, ea conentur clara et intelligibilia reddere; abstineant pariter a vocabulis novis,

in usum apud populum needum inductis, quorum significationem non intelligunt.

Elocutio sit pura, naturalis, simplex, non affectata, ast vivida, ut orator sacer non loquatur quasi declamator, qui recitat, quod alter composit, sed tamquam eodem affectu incensus, quem vult in auditoribus excitare, id quod fieri non potest, nisi a seipso convictus, idem quod loquitur sentiat, sensuque spiritum, et affectum conformet; neque enim fax, quae non ardet, accendit.

Sermonem gestus congrui comitentur decori, et moderati, cavendumque ne gesticulatio sit nimia aut violenta, projectis in utramque partem brachiis, neque eodem gestu semper utendum, sed pro rei varietate dictioni aut locutioni accomode respondeat.

Plurimum denique ad salutarem fructum faciet praevia humilis et devota imploratio divini Numinis, ut per sanctam gratiam suam, et benedictionem, sermonem reddit efficacem, et fructuosum. Si demum sacer orator id quod verbis praedicat, opere ipso compleat, et sibi creditos non minus vita, quam doctrina, ad omnem virtutem alliciat.

§. 3.

De Catechesi.

Praeter sublime concionandi munus, est et aliud proprium et peculiare Sacerdotis officium, catechesandi scilicet, et prima fidei catholicae rudimenta parvulis, et ignaris tradendi, cui tanto

majori cum diligentia et affectu incumbendum est, quanto uberior plerumque ex eo fructus, animarumque proveniens colligi potest. Comprehenditur haec obligatio Pastoris animarum jam in generali officio praedicandi verbum Dei; ideo Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. 4-o de Reformatione ordinavit: „**Ut Episcopi saltem dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri current, et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant.**“

His cohaerenter statuimus:

a) Ut singuli Parochi et Curati huic muneri conscientiose, et diligenter respondeant, ac singulis dominicis et festis diebus, tam in Ecclesiis parochialibus, quam in filialibus, dum in his res divinae celebrantur, institutioni catecheticae unam circiter horam impendant.

b) Omnes utantur Catechismo a Synodo Provinciali Strigoniensi praescripto, cuius tenor et divisio in proponenda, et explicanda fidei doctrina, prout et distinctio opusculorum, secundum capacitatem parvulorum stricte servetur.

c) Peculiarem curam habeant prolium in filialibus, in quibus cultus divinus non celebratur, existentium, item in praediis, ac diverticulis, aliisque locis solitariis degentium, nec non inter acatholicos permixtim viventium; eas igitur tempore opportuno ad se evocent, et si catechesibus ordinariis, ut sunt pastores, famuli etc. etc. interesse nequeunt, privatim instruant.

d) In locis ubi nec scholae, nec Ludimagistri sunt, et excursio praecipue de hyeme nimis difficilis est, satagant Parochi personas pias, charitate ferventes, et bene instructas, vel instruendas luerari, quae hanc provinciam in se suscipiant, doceant pueros preces, et necessaria fidei catholicae rudimenta, ne secus in ignorantia, et feritate excrescant, fideique jacturam patientur, et pereant.

e) Cum Curatoribus animarum gravissima incumbat obligatio tradendi doctrinam christianam etiam in scholis elementaribus, hanc obligationem utique per se implere debent; igitur ipsimet singula eiusvis septimanae feria quarta et sabbatho scholam adeant, et catechesim servent, (nisi ex gravibus rationibus munus hoc Cooperatori relinquere deberent). Quamvis vero Ludimagistris, qui fidei professionem fecerunt, in subsidium uti possint, intendant tamen eis, ut sanam semper doctrinam doceant, et probo exemplo pueris praeluceant.

f) In Quadragesima tam scholares, quam alii, qui catechesim frequentant, ad digne suscipienda sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, modumque rite confitendi sua peccata, instruendi sunt, qua in re omnis industria circa illos praecipue adhibenda est, qui ad primam Communionem accessuri sunt, ut puerorum cordibus tanti Sacramenti majestas, et veneratio profunde insculpantur.

g) Instituantur in omnibus Parochiis etiam scholae dominicales, in quibus una aut altera hora, diebus dominicis et festis, lingua vernacula, praecipua doctrinae catholicae capita, Oratio Dominica, Symbo-

lum Apostolorum, Praecepta Dei, et Ecclesiae memoriter doceantur, aut repetantur, addita per Pastorem vel Catechetam debita explicatione, et exhortatione. Etsi autem hae scholae proprie non instituantur ad Litteras discendas, aut artem scribendi et legendi, poterit nihilominus juventus in his etiam doceri, postquam in praedictis bene, sufficienterque instituta fuerit. Ut vero adolescentes utriusque sexus ad cantum ecclesiasticum rite efformentur, omnino deponimus, et disponimus.

b) Nulli labori parendum, ut pueri non litteram tantum catechismi, et nuda verba memoriter referre sciant, sed ejus sensum quoque comprehendant; verba enim, ut plurimum brevi obliterantur, sensus vero in corde superstes manet. Efficiet vero id Catecheta, si materiam breviter, clare, et dilucide, atque ad captum exposuerit, interrogaciones alio, et diverso modo formaverit; blande, hilariter cum singulis egerit; non langyide sed ferventer rem tractaverit; et non modo docere, sed etiam animos movere et delectare noverit, libenter enim a pueris audiri, iam est in eorum corda penetrasse.

TITULUS QUARTUS.

De mediis quibusdam, et adjumentis excitandi et fovendi inter fideles religioso catholicum sensum, pietatem item, et charitatem christianam.

§. 1.

De sacra Ecclesiae disciplina, aliisque piis operibus, quae confortandae fidei, excitandae pietati, emendandisque populi moribus maxime conducunt.

Cum docente s. Paulo, **fides sine operibus mortua sit**, nec sine his ad salutem sufficiat, agnitus quoque veritatis nihil prospicit, si actionibus non confirmetur: inde patet Christianos Catholicos ad fidem suam etiam operibus demonstrandam obligari. Ast eheu quam multi sunt, quorum vita fidei sua non respondet, quive sanctissimam fidem catholicam nec moribus, nec vitae ratione ostendunt et exprimunt.

Divinus Salvator Ecclesiam suam instituit, ut homines ad vitam doctrinae suae conformem, et salutem aeternam perducat. Catholicus quisque profiteretur in symbolo fidei, se credere in sanctam Ecclesiam catholicam, quam audiri Christus praecepit, quaeve juxta Apostolum est: „**Columna et firmamentum veritatis**“: unde verae fidei cultor non solum quoad

dogmata, et substantialia Religionis, sed etiam quoad media salutis operanda, exercendaque religionis, cum Ecclesia Catholica sentire, huic conformiter vitam instituere tenetur. Nihilominus haud pauci reperiuntur, qui dicunt, se fidem habere, catholicos esse, sed Ecclesiae Catholicae praecepta, disciplinam, salutaresque ejus institutiones spernunt, privatum suum spiritum, et sensum sequentes. Quamobrem

1-o. Cūratores animarum quavis occasione nervose exponant fidelibus, quantopere errent, qui Ecclesiae praecepta, disciplinaria statuta, ritus, et approbatas in Ecclesia consuetudines parvi pendunt, et negligunt; cum enim haec amantissima mater sit filiorum suorum, eique se Christus Dominus perpetuo adfuturum promiserit, sane nemo dubitare potest, illam externa quoque aptissima media ad finem beatitatis aeternae ordinare et praescribere, ejusque ducatum in via salutis omnino tutissimum esse; idcirco

2-o. Pastores fidelium omni studio impedire quoque conentur transgressiones salutarium quarumvis Ecclesiae institutionum, adlaborarentque, ut disciplina et ritus ejusdem ab omnibus, ad quos pertinet exacte observentur, occurrentes transgressiones non dissimilant, et tacite quasi non simant pertransire, sed suo tempore, et accomodo modo perstringere haud omittant, ne observantia eorum paulatim, et sensim sine sensu apud populum deficiat.

3-o. Impendant quoque curam, ut Christi fideles cordi habeant emolumentum Ecclesiae, et propagacionem fidei suae, atque suam etiam operam hoc fine pro posse conferant. Ecclesia Catholica a Christo Sal-

vatore mandatum accepit praedicandi Evangelium in universo mundo, et addueendi ad lucem veritatis omnes gentes, cui officio inde ab ortu suo nunquam defuit; erant quippe semper in praesens usque tempus viri sancto zelo incensi, omnesque vitae asperitates et pericula subire parati, qui per omnes mundi partes sanctissimum hoc munus expleverunt. Dubium non est, omnem verum et sincerum Catholicum optare debere, ut Evangelium, immensum hoc coeli donum ad omnes gentes perveniat, et omnes in unitate fidei coadunentur: ast quia hoc sine magnis sumptibus effici non potest, non vereantur pastores per vices, et accommodo tempore suos fideles hortari, ut oblationes quaspiam, quantumvis exiguae, hoc scopo faciant, etiamsi enim fructus mox non sequatur, quod vix credendum, tamen consolationem in eo reperient, quod ad gloriam Dei, et animarum salutem fecerint, quod potuerunt et debuerunt.

4-o. Non absimiliter adlaborare oportet, ut fideles fidem suam in emergente quacunque necessitate operibus demonstrent: hinc quoties lex charitatis exponit, et pia opera occurunt, praecipue a summo Pontifice vel Episcopo commendata, uti sunt: Ecclesiarum aedificationes, vel restaurations, hospitiorum et nosocomiorum institutiones, vel dum pauperes, infirmi, derelicti, orphani, damnificati juvandi sunt, Pastores non intermittant, fideles suos ad subveniendum pro modulo hortari, illisque bono exemplo prauire, ut cunctis impatescat in Ecclesia Catholica charitatem a Salvatore praeceptam, et tantopere commendatam haud defecisse, de qua etiam Apostolus ait:

„Nemini quidpiam debeatis, nisi ut invicem diligatis.“

5-o. Ad exercitium bonorum operum multum conferet, si Pastores animarum fideles suos excitaverint, ut se alicui Societati ad pium finem instituae, adscribi curent, quales sunt: Societas S. Stephani ad propagationem bonorum librorum, S. Ladislai ad triplex emolumenatum Ecclesiae, porro Pueritiae Jesu ad redimendas et baptisandas proles gentilium, S. Leopoldi, pro juvandis missionibus Americae Septentrionalis, Immaculate Conceptae Virginis Deiparae pro Missionibus Africæ Centralis etc. etc. Non refugient profecto saltem plures ex fidelibus alicui, aut etiam pluribus memoratis Societatis nomen dare, si intellexerint, quanta emolumenta ex conjunctis multorum viribus, et voluntatibus ad gloriam Dei, et Ecclesiae bonum jam accesserint, et in futurum accedere possint, si item intellexerint, quantopere omnes vires adstringant heterodoxi non solum ad suos errores per orbem diffundendos, sed etiam ad omnia Fidei Catholicae vestigia, ubique si fieri posset, extirpanda et delenda.

6-o. Ad excitandum et fovendum ferventiores cultum Dei et Salvatoris Jesu Christi; alendam item, et augendam devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam, et Sanctos, magnam utilitatem praestant piae Sodalitates, seu Confraternitates, uti sunt: Confraternitas SS. Cordis Jesu, Viae Crucis, SS. Rosarii, cui recentius accessit Confoederatio sub nomine Rosarii perpetui, Confraternitas Cordis B. Mariae Virginis, nostris temporibus Parisiis natae, pro con-

versione peccatorum, per Praecessorem nostrum, nunc Eminentissimum Cardinalem et Regni Primatem, introducta, et coelestibus Indulgenciarum thesauris a Summo Pontifice dotata.

Sunt praeterea aliae quoque Consociationes per nonnullos industrios Parochos in suis Parochiis conflatae, et per Nos approbatae, ut, tum juvenes, tum puellae dominicis et festis diebus a choreis, tabernis, caeterisque peccandi occasionibus avocentur, utque dies festos in sancta laetitia transigant, et eorum animi verbi divini pabulo, vel salutari alia instructione refici possint.

Quoad quasvis pias Confraternitates sequentia observanda veniunt.

a) Ut semper cum consensu, et approbatione Ordinarii fiant, secus statuta earum omni vigore carent.

b) Sint semper sub directione Parochi proprii, aut illo impedito, ejus Cooperatoris.

c) Collectae, si quae fiunt, in pium finem, iuxta statuta propria erogentur.

d) Inter plures, tales praecipue erigantur Confraternitates, quae confortandae fidei, excitandae pietati, emendandisque populi moribus maxime conducent, quaeve a fidelibus maxime exoptantur.

e) Curatores animarum diligentem earum curam gerant, contra quosvis abusus custodiant, reflectantque Sodales, ne cogitent se a cultu divino ordinario per id elevatos esse, quod societatis alicujus religiosae membra sint; agant demum, ut membra earum in pietate, et vitae integritate, omnibus, et in omnibus exemplo praeluceant.

§. 2.

**Observanda speciatim circa Cantum, et Musicam
in Ecclesia.**

Cantum ecclesiasticum ad exitandam, et foven-
dam populi devotionem plurimum conduceare, nemo
est, qui dubitet; hoc enim adminiculo Christianus
pios animi sui sensus, amoris, gratitudinis, laudis,
moestitiae, et compunctionis affluenter, et vivide coram
Divina Majestate effundit. Nihil tam vividam exprimit
imaginem coelestis illius, quae sursum est, Jerusalem,
quam pia Communitas in Domino congregata, quae
festivo et svavi hymnorum et canticorum concentu,
laudes Deo Omnipotenti, et Unigenito Ejus Filio de-
cantat. Quoties suavitates sacrorum horum Canticorum
magnum Antistitem Ecclesiae, et Doctorem sanctum
Augustinum, ad tenerimos pietatis affectus, ad effu-
sionem usque lachrymarum commoverunt? „Quan-
tum flevi, inquit is Libr. Confess. Cap. 6. in hy-
mnis et canticis, svave sonantis Ecclesiae
tuae, vocibus commotus acriter?, voces illiae
influebant auribus meis, et aliquabatur ve-
ritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat
affectus pietatis, et currebant lachrymae,
et bene mihi erat.“ Et rursus Libr. X. C. 33.
„Cum reminiscor lachrymas meas, quas
fudi ad cantus Ecclesiae tuae in primordiis
recuperatae fidei meae, et nunc ipso, quod
moveor non cantu, sed rebus, quae cantan-
tur, cum liquida voce, et convenientissima

modulatione cantantur, magnam instituti
hujus utilitatem rursus agnosco.“

Curae itaque sit pastoribus animarum, ut pietati-
s hujus adminiculi, in Ecclesiis suis salubris, et menti
Ecclesiae conformis fiat usus: qua in re sequentia praef-
oculis habeant:

1-o. Curent omnimode, ut universus populus
fidelis, utriusque sexus, hymnos et cantica sub divinis
decent. Cantus sit gravis, festivus, non praecipitatus,
nec protractus, aut clamitosus; idcirco

2-o. non tolerent: ut organistae ad ostendendam
suam in cantu dexteritatem, vocis fortitudinem, aut
modulationem, soli sub Sacro canant, sed solum con-
centum populi dirigant, et organo comitentur.

3-o. Non admittant: ut organistae novas, et non
approbatas cantilenas ad chorum inducant, neque
tales, quarum modulatio mundanarum cantilenarum
formam imitatur.

4-o. Cantus, Organum, et quaecunque instru-
menta musica, sub elevatione silent, ut Sanetissimum
pia cum devotione in silentio adoretur.

5-o. Admittimus quidem, ut instrumenta musica
adhiberi possint, quibus, quibusdam in locis musici
cantum populi comitari solent; ast haud tolerandum
erit, ut hoc tanto cum strepitu fiat, quo ipse cantus
veluti suffocetur, et absorbeatur; nec toleramus, ut in
Missa sub elevatione, aut extra Missam, tempore be-
nedictionis cum Sanctissimo, tibicines, et tympanistae
fidelium devotionem strepitu perturbent. Demum

6-o. volumus: ut parochi ubique scholares utri-
usque sexus in hymnis et canticis per ludirectores

institui carent, quo sic Cantus concinnus, et regularis ubivis induci, et vigere queat.

QUINTVS
TITULUS QUARTUS.

De Personis Ecclesiasticis, et eorum officiis.

§. 1.

De Capitulo Cathedrali, et Canonicis.

Cum secundum Concilium Tridentinum, Sess. XXIV. Cap. 12. de Reform. „Dignitates in Ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam, augendamve ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut quieas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera et officio juvarent;“ ac eodem sacro Concilio docente, Capitulum Senatum Ecclesiae constituat, sieque Canonici aliis Presbyteris honorabiliores sint: idcirco nihil magis aequum est, quam ut ii etiam scientia, virtutibus, et morum integritate, officiorumque suorum exactissimo implemto se prae caeteris distingvant.

Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiae Cathedralis Canonicos in Domino hortamur: ut ad quem finem vocati sunt, ad eum infractis animis

enitantur, et eos ad observantiam omnium, quae in Synodo Provinciali Strigoniensi in hoc merito decreta sunt, obligamus, et adstringimus: chorum proinde assidue, et diligenter frequentent, Horas Canonicas diurnas, nocturnasque devote absolvant, Missaeque Conventuali quotidie intersint, nec sub ea ipsi Missam celebrent; sine justa et legitima causa vero absentes, distributione commensurata careant.

Non absimiliter festis diebus quandoque, praecipue Archi-Diaconi, ad populum sermonem dicant, Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistant, et inserviant; alias etiam curae habeant, ut res divina in Cathedrali Ecclesia digne et solemniter perficiatur, et accurate serventur ritus sacri, ac ceremoniae, ordoque praescriptus maneat semper inconcussus. Unanimes tandem, et in omni concordia permanentes, exemplo sint Clero amore mutuo, intimo consensu cum Episcopo, fidi Statutorum, et Regularum Dioeceseos observatione, ut qui dignitate caeteris praestant, virtutibus quoque aliis sint praecellentiores.

Quoniam autem ad servandum rectum ordinem, disciplinam, pacem, et harmomiam, facilitandum etiam ad ipsius Dioeceseos salutare gubernium, nihil magis confert, quam si non modo Collegium totum sphaeram activitatis suae probe teneat, sed etiam unusquisque in Collegio obligationes suas notas, et perspectas habeat: idcirco exhibita Nobis iam antecedenter pro confirmatione Statuta Capitularia, postquam per Nos mature discussa, et cum antiquioribus Antecessorum nostrorum Constitutionibus collata fuissent, pronususcepimus animo, eadem Authoritate nostra epi-

scopali adprobavimus, ratihabuimus et confirmavimus, eorumque observantiam omnibus, ad quos pertinent, stricte injunximus.

§. §. 2.

De Vice-Archi-Diaconis, eorum officiis, et facultatibus.

Quamvis officia Vice-Archi-Diaconorum in Decretis Concilii Provincialis Strigoniensis, pagina 68—72, prolixo recensita sint: Synodus tamen haec, nonnulla adhuc particulatim exponenda, et constituenda censuit.

Generatim quidem, cum Vice-Archi-Diaconi in Districtibus, quibus praesunt, in medio Fratrum suorum Parochorum, et populi viventes, defectus, si qui emergunt, facilius advertere possint, iisque per Episcopum ideo in partem sollicitudinis pastoralis vocentur, ut eorum oculis videre, eorum adjutorio omnia corrigere, emendare et sanare valeat: idcirco quanto majorem in eorum fide, et opera fiduciam collocat Ordinarius, tanto etiam diligentius, solertius, et absque rerum procrastinatione, credito sibi munere fungantur oportet; firmiter de eo persvasi, quod sicut diligenti officii sui implemento magna coram Deo, et hominibus posituri sint merita, ita subituri sint grave conscientiae suae, et reddendarum rationum onus, si munus suum negligenter obeundo, defectus et scandala, ex sua partim desidia, partim conniventia, oriri siverint: Itaque sphaeram activitatis, et muneris eorumdem in sequentibus defigimus.

1-o. Vice-Archi-Diaconorum officium est: omnes constitutiones, dispositiones, et mandata Ordinariatus, et Officii Dioecesani, non modo conscientiose observare, sed etiam invigilare, et curare, ut haec ab omnibus sui Districtus animarum Curatoribus observentur, et respective Protocollo parochiali inferantur.

2-o. Illorum est invigilare: num Parochi universim parochialia munia diligenter obeant, an ritus et ceremonias, in Missali et Rituali praescriptas, iuxta Directorium observent, verbum Dei diebus Domini, et Festis (non exceptis feriis sic dictis vacationalibus), diligenter annuncient, catecheses servent, scholas visitent, moribundis incunctanter assistant, Missam quotidie, aut saltem frequenter celebrent, in sepeliendis mortuis spatium 48. horarum in regula observent, an parochiam suam ultra unam diem absque supplente non deserant, peculii Ecclesiae, piarum fundationum, et eleemosynarum fidelem curam habeant, conservationi Crucum, Statuarum, et Capellarum intendant; tabellam Sacrorum fundationalium in Sacristia appensam habeant, et praevie ex ambone celebranda fundationalia Saera, ad conservandam in populo erga pias Fundationes fiduciam publicent, an generatim peculii Ecclesiae penes observantiam contraseratura Normativo ^{1200 / 1859} ordinatam, et fidelem administracionem manuteneant, et observent? aliaque sibi de officio incumbentia exequantur; demum an vitam vocationi suae conformem vivant, pietati vacent, Breviarium orent, famulitum moratum habeant? Si vero quemquam, aut in cura animarum nimis tepidum, aut gravi, non tamen publico defectu laborantem obser-

vent, eum primo inter se, et ipsum cum omni charitate monebunt; si non audierit, adhibeatur tertius; si nec sic sapuerit, talem etiam in Congregatione Districtuali, in pleno coetu, ad seriam emendationem hortando, obsecrando, moneant; si nec id sufficerit, negligentes, inobedientes, inemendatos, et offendentes praebentes, ad nos deferant, cum plena et sincera defectus admissi, factarumque admonitionum descriptione.

3-o. Curae sit Vice-Archi-Diacono, ut honor, et existimatio Cleri in suo Districtu salva, et intemerata conservetur; intendat idecirco: ut in domo parochiali personae serviles bonae famae, bonorumque morum, atque ad exigentiam ss. Canonum, signanter s. Concilii Tridentini Sess. XXV. Cap. 14-o. de Reform. omnem suspicionem excludentes sint? et si quid hujusmodi absque importuna inquisitione observaverit, eos, quos concernit, summa quidem cum prudentia et charitate, attamen sacerdotali etiam libertate moneat, hortetur, increpet, ut lapidem offendonis e medio tollant, contumaces vero Ordinario deferat.

4-o. Sollicitus sit, ne inter Condistrictuales ipsos inter se, aut pastores, et parochianos, dissidia emergant; aut si oriantur, ea ex aequo et bono compонere satagat. In dubiis adhibeat Fratrum suorum consilium, quos ad rem elucidandam magis idoneos novit; in gravioribus ad Ordinarium recurrat.

5-o. Quovis anno in vere, et autumno, Congregationem Districtualem juxta normam praescriptam asservabit, cuius terminum et locum omnibus Districtualibus tempestive significabit, in his propositas ab

Ordinariatu theses, et quaestiones mutua matura deliberatione discutient et resolvent: singuli autem sua elaborata, nisi qui ab hoc respectu aetatis dispensati sunt, Vice-Archi-Diacono resignabunt. In iis pariter, si quae difficultates ad officium pastorale pertinentes, aut dubia quoad sensum Ordinum dioecesanorum emergent, in pertractionem assumentur, et dilucidabuntur, demum pro re nata dissidentium conjugum reconciliatio, (si qui praesto essent) tentanda veniet. Acta vero Protocollo inferentur, et per Vice-Archi-Diaconum Ordinariatu submittentur. Idem etiam periodicas Relationes in sensu Missilium dto 28-ae Januarii 1858. Nro. 270. et tempore, prout in Directorio notatur, horsum praestabit.

6-o. Quotannis semel Districtus sui Parochias visitabit, et reflexe ad puncta exposita relationem de statu Ecclesiae, Parochiae, et Scholae, in forma tabellari praeSENTABIT. Cujus Tabellae rubricae sunt sequentes:

I. Nomen Parochi, Cooperatoris, Docentis, et Subdocentis.

II. Quam fabrica Ecclesiae interna, et externa depositit imprimis reparationem? quid ad internam instructionem, supellectilem vel maxime restat? an mundities in Ecclesia, et sacra supellectili observetur? num peculium Ecclesiae diligenter curetur? num agri et alia tenuta solerter cultiventur? in quo statu sint Capellae, Cruces, Statuae, Coemeteria?

III. Num Sermo sacer dominicis et festis diebus dicatur, Sacrum et Lytaniae decantentur? an Catecheses serventur, in Ecclesia et in Schola? num quotidie Sacrum celebretur? num Matricae, Protocolla

ordinarie ducantur et conserventur? An domus parochialis sit ordinata? famulitum morigerum? Num parochus vestem talarem, Clericis propriam, deferat, Breviarium oret? num debitibus non praegravetur? Quid parochum imprimis commendet? Haec eadem respective referantur de Capellano.

IV. Quid ocyorem requirit in aede parochiali reparationem? num horti debite cultiventur? arbores plantentur, conserventur, tenuta fimentur, colantur? qua in re defectum patitur parochus, et qualiter huic posset obviari?

V. Num populus sit solers in frequentandis divinis, concionibus, catesibus; num praestationes accurate dependere contendat? quid populum imprimis commendat, quid discommendat?

VI. Quid ocyorem requirit in scholari aede reparationem? num horti, et tenuta debite cultiventur? arbores plantentur? agri fimentur? qua in re Ludimaster defectum patitur, et qualiter huic posset obviari?

7-o. Sacerdotes in Curatum beneficium post impetratam, et sibi exhibendam Canonicam Investituram quoprius populo fideli parochiano, in Ecclesiam collecto, cum Missarum solemniis, et spirituali alloquio praesentabit, in officium introducat, et installabit. Instrumentum Resignatorio-Receptorium rerum, ad Ecclesiam, fiscum Ecclesiae, Bibliothecam, Fundum instrumentum parochiae, ad exigentiam Normalium dto. 12-ae Julii 1857. Nro. 1171, item Nri. 1200./1859. de 24-a Junii adparabit. (Vide Numerum II-m in Appendice.) Non secus coram se divisionem proventuum inter Antecessorem (vel ejus massae caduae Curatorem) et

Successorem fieri faciet, moderabitur, ac instrumentum a Partibus, ac Administratione sacri peculii subscriptum coramisabit.

8-o. Cum Vice-Archi-Diaconus una sit scholarum Inspector, nulli parceat fatigio, ut fiduciae in se locatae, et exspectationi omnimode respondeat: ea propter exemplum Christi Domini, parvulos ad se vocantis, et amplexantis, sequendo, parentes ad natos suos in scholam diligenter mittendos hortetur, et omni zelo excitari faciat. Docentes ad exigentiam Normalium, cum conceruentium influxu deligi, et Ordinariatu proponi, ac post denominationem ad munus conscientiose implendum, per elicitam coram populo fideli ad divina comparente, Fidei Catholieae professionem; sanctissimi Sacramenti sumptionem, et juramenti nuncupationem, — quod Nobis, Vicario Dioecesano, scholarum Inspector, Vice-Archi-Diacono, et Parocho obediens et fidelis erit, debitamque reverentiam exhibebit, — adstringet, adstringique procurabit. Denique annuas Relationes scholasticas de cunctis Districtus sui scholis praeresentabit.

9-o. Curae habeat tam Ludimastros, quam alios etiam inferiores Ecclesiarum ministros, uti aedituos, campanatores: eos contra imputationes defendat, eorumque competentias exigat; quodsi tamen in aliquo delinquerent, eos corrigeret satagat, et si incorrigibiles deprehenderet, posteriores a servitio amovere, Ludirectores vero altiore potestate removeri omnimode studeat.

10-o. Si in Districtu suo quispiam Parochorum, aut Administratorum aegre decumbat, Vice-Archi-

Diaconus eum adeat, et praecipue si de vita periclitetur, eum ad Sacramentorum susceptionem disponat; moneat quoque: ut tempestive Testamentum condat, (si nondum haberet), debita sua seu activa, seu passiva conscientiose in eo connotari procuret, de mercede famulitii sui providere non obliviscatur, accepta denique stipendia Missarum, neandum persolutarum, sincere indicare non intermittat. Ad hunc scopum certius assequendum agat Vice-Archi-Diaconus, ut in Districtu suo communi aestimio, et fiducia gaudens delegatur Spiritualis, qui peculiarem infirmorum Confratrum curam habeat, et graviter decumbentibus necessaria salutis remedia, sacrum viaticum, et Extremam Unctionem administret, eosque reflectat, ut de bonis suis, per Ecclesiam acquisitis, juxta mentem Ecclesiae, ad pias causas disponant, et conferant, aliis quidem, qui viventi servierant, sive consangvinei sint, sive non, juxta servitii meritum relinquant, ast caveat, ne servilem suam haeredem scribant, a quo oblocutiones, et scandala in diminutionem bonae opinionis status, vix abesse possunt.

11-o. Si quis in Districtu Parochus, vel Administrator Parochiae moriatur, Vice-Archi-Diaconi est: Ordinariatum de morte quamprimum certiore facere; is conditum Testamentum submittet, aut insinuabit tale non existere, procurabitque substantiae officiosam, lege praescriptam, inventionem, cui ipse qua Commissarius Ecclesiasticus intererit, etiamsi alter constitutus foret pro Executore Testamenti. In hoc suo munere prima ejus cura erit documenta omnia ad sacrum ministerium pertinentia, Matriculas Baptisatorum, Co-

pulatorum, et Mortuorum, caeteraque Protocolla colligere, et collecta in Archivo parochiali deponere; privata quoque, rem conscientiae, vel disciplinae concernientia scripta, et acta, a Massa segregare, in elenchem referre, ac constituto interim Administratori Parochiae, erga huius Reversales resignare. Denique ejus erit defunctum sepelire, et exequias illius celebrare, quo fine studeat Condistrictuales quo fieri potest majori numero congregare, quo opus hoc charitatis fratri defuncto decenter praestetur, isque, praemissa Missa Cantata de Requiem, terrae mandetur.

12-o. In quantum ea, quae ductu nonnullorum punctorum Vice-Archi-Diaconi effectuanda habent, longiorem non semper paterentur moram, in casum obitus, abitus, vel infirmitatis Districtualis Vice-Archi-Diaconi, ea Notarius Districtualis exequetur, praesidium tamen in Congregatione Districtuali senior Parochus sustinebit.

13-o. Vice-Archi-Diaconis sequentes facultates concedimus in suis Districtibus:

a) Facultatem absolvendi poenitentes in fôro conscientiae a casibus Nobis reservatis, non tamen facultatem simili eam subdelegandi.

b) Pôtestatem benedicendi vestes, paramenta, supellectilia, et vasa sacra Ecclesiae, et Altaris, in quorum benedictione non intervenit unctio chrismatis, adeoque etiam Monstrantias et Ciboria, Ecclesiis tamen, et Sacellis, in quibus s. Missae Sacrificium offertur, exceptis, pro quibus, uti pro erigendis, ita et pro primario lapide deponendo, et benedicendis, licentia in quovis casu particulari ab Ordinario petenda erit.

c) Omnes gaudent jure deferendi cingulum violaceum; in Congregationibus Districtualibus praesident, et officiose Ad modum Reverendi titulo decorantur.

d) Tribuumus eis facultatem, Parochis sui districtus concedendi licentiam a Parochia ad sex dies abeundi, constituto praevie Sacerdote approbat, qui vices eorum interea subeat.

e) Pro revisione Cassarum Ecclesiae insimul cum Scholarum visitatione percipit Vice-Archi-Diaconus 3. flnos. a. w. pro ductu funebri defuncti Parochi ex consuetudine unum aureum, e massa alterius Sacerdotis 2 flnos; pro Sacro insuper de Requiem, si ipse decantaverit, solitum unius floreni stipendum accipit.

§. 3.

De Parochis, et variis eorum Officiis.

Cum Presbyteris, qui parochialibus Ecclesiis praesunt, cura animarum in iis credita sit, de iisque rationem coram Deo reddituri sint: hoc ipso ad procurandam earum salutem indefesso conatu adlaborare debent. Quare

1-o. Officium eorum est: personaliter in Parochia residere, ut cuivis suorum, et quovis tempore, prompte adesse possint. Nullus igitur Parochus, vel Administrator, vel una die et nocte Parochia egrediatur, quin alium Sacerdotem approbatum constituat, aut saltem designet, ad quem in vicinia in necessitate recurrere

debeant. Qui per sex dies infra hebdomadam abscedere optat, de eo Vice-Archi-Diaeonum certiores reddat, simulque indicet, cui commiserit curam parochiae. Si per octiduum (inclusis diebus abitus et redditus) abesse cogitur ob graves causas, ab Ordinariatu licentiam obtineat.

2-o. Quemadmodum paterfamilias liberis suis, ita et Parochus ovibus suis invigilare debet; unumquemque enim animarum pastorem Deus dedit tamquam speculatorum domui Izrael. Vigilantia se extendat ad omnes sibi creditos, sit constans, et assidua, eoque directa, ut singulis abusibus, et scandalis resecandi, efficacia adhibeat remedia, pericula quaevis, quibus fides et mores destruuntur, removeat.

3-o. Omnes Parochi et Parochiarum Administratores tenentur bis per annum, in vere et autumno, ad Districtuales Congregationes venire, et in negotia ibidem pertractanda, juxta praescriptum Dioecesano-rum Ordinum, suam operam conferre: eo fine enim Pastorales hae Conferentiae instituuntur, ut Sacerdotes se invicem in scientiis necessariis adjuvent, Statuta Dioecesana intimius cognoscant, et adimpleant, ac pretiosa illa animorum unione jungantur, quam tanto-pere a Christo commendatam in Evangelio legimus; cumque earum celebrationem Sacra quoque Sedes Apostolica exigat et postulet: patet utique non esse in arbitrio cuiusquam constitutum, an Conferentis his interesse velit, vel non? sed esse de pracepto eis intervenire, neminemque se illis subducere posse, nisi legitimo detentus sit impedimento. Quapropter haec Synodus isthoc officium ab unoquoque Pastore

strictè exigit, ita, ut in casu subversantis realis impedimenti, quilibet de hoc per Litteras excusatorias Vice-Archi-Diaconum certiorare obstrictus sit, qui dein rem totam ad Ordinarium referet. Qui autem absque legitima causa a Conferentiis his Pastoralibus se absentaverit, poenae condignae subjicietur.

4-o. Relationes Periodicas, juxta normam dto. 28-ae Januarii 1858. Nro 270. praescriptam, et tempore in Directorio notato, adequaret praeparent, et officio V.A.Diaconali submittant, neque exspectent, donec a Vice-Archi-Diacono eatenus moneri, et provocari debeant.

5-o. Parochi Cooperatores suos considerare debent, ut viros Sacerdotio Christi insignitos, idcirco cum bonitate, mansuetudine, et benevolentia debent eos tractare, velut socios in labore, siveque omnia disponere, ut neuter eorum graviori onere prematur, et tamen omnia munia suo tempore adimpleantur. Vigeat inter eos maxime pacis studium, et charitatis perfectio, sint sibi mutuo aedificationi, auxilio, et honori.

6-o. Cum tamen Parochus sit stricti nominis Pastor, et Curatus suarum ovium, ipsique incumbat onus responsionis de salute earum: idcirco Cooperator in iis, quae ad munus pastorale, et ejus jura pertinent, propria auctoritate nihil suspicere potest, sed quoad haec dispositionibus Parochi subjacet.

7-o. Cum praecipue neopresbyteris ad curam animarum dispositis, ea quae in Seminario audiverunt, haud sufficient, sed illi eorum directione egeant, qui per experientiam maturitatem assecuti sunt, et quorum curae committuntur: eapropter Parochi benevole eos

manuducere, et quoad muneris sui partes recte, et fructuose implendas informare, unaque congruam eis mercedem, seu honorarium, pro Dioecesi hæc sub dto. 29-ae Nov. 1855. et Nro. 2038 / 1855. defixum, convenientem victum, habitationem, servitium, lumen, calefactionem, et lotionem praestare obligantur.

8-o. Relate ad stipendia Missarum statuimus: ut dum Cooperator loco Parochi Sacrum celebrat, quod intuitu beneficii, seu sustentationis Parochi fundatum est, si de hoc sufficienter constet, Cooperator nihil ultra consuetum stipendum Missae, seu cantatae, seu lectae, exigere potest. Idem etiam quoad alia Sacra fundata, et exequalia utriusque generis locum habet. Demum si Cooperator loco Parochi pro populo celebret Missam, accipiat ab eo congruam remunerationem.

Quibus diebus festis, jam abrogatis, praeter alias dominicos et festos dies, Parochus celebrare pro populo suo debeat, in Appendice sub Nro. III. subjicitur.

9-o. Providere cupientes, ut cuique suum tributatur, omnique detrimentum a singulo avertatur, siveque qui uno pane coelesti satiantur, sint in charitate quoque fraterna concordes: subjicimus in Appendice Statutum, juxta quod divisio proventuum beneficium, inter Antecessorem et Successorem, nec non pro tempore constitutum Administratorem, fieri debeat. (Vide Nrum IV.)

§. 4.

De Cooperatoribus, aliisque Presbyteris Dioecesani, eorumque Officiis.

1-o. Cooperatores meminerint se inferiores esse Parochis, et eorum tantum adjutores in vinea Domini, quibus proinde reverentiam, et obedientiam debent: idecirco sine illorum scitu, et assensu nihil novi aliquius momenti introducere audeant, promptos et alacres se exhibeant ad creditas sibi functiones sacras perficiendas, caveant omnem murmurationem, inurbaniatem, mores incultos, et oppositiones, a nimio sui amore provenientes.

2-o. Nunquam pro integra, vel notabiliore diei parte, sine Parochi consensu e Parochia abeant, et dum intra Parochiam etiam ad tempus exeunt, semper domi domesticis, quo se conferant, indicent, ut si repente ad administrandum aliquod sacramentum vocentur, statim revocari possint.

3-o. Nunquam de regimine Parochi coram parochianis disserant, vel conquerantur, neve de defectibus ejus loquantur coram iis, quorum nihil interest. Nimiam familiaritatem cum parochianis devitent, nec absque necessitate domos adeant, illorum praesertim, qui sese Parochi infensos ostendunt, aut ut tales ab illo designantur. Eos autem, qui coram se in Parochium invehuntur, corrigant, omniumque reverentiam, et fiduciam ei conciliare semper studeant.

4-o. Ordinem domesticum a Parocco constitutum punctualiter observent; ubi enim propter causas

tantummodo privatas, minimeque urgentes, et absque parochei venia, hora competenti non comparuerint, mensam consuetam, servitiaeque praetendere haud possunt; in officiosis functionibus retardatis Parochus congrue prospicere tenet.

5-o. Rei familiari domesticae se non ingerant, et praetensiones injustas non forment, famulos et ancillas non despiciant quidem, et insectentur, at vero omnem etiam familiaritatem cum iis devitent.

6-o. In parochiis, in quibus duo vel plures Cooperatores sunt, studeant se invicem ad perfectionem et sanctificationem excitare, concordiam servare, alter alterius onera portare, invicem honorare, et obsequiis praevenire, in omnibus ad salutem animarum spectantibus idem sentire, et velle in Domino, functionesque sacras inter se, consulto et dirigente Parocco, ad fidelium majorem utilitatem ex aequo et bono dividere.

7-o. Si contingere, quod absit, ut quis Cooperator jure merito censeret se plus aequo a Parocco gravari, statuimus: ut in ejusmodi casu propter bonum pacis interim Parochi dispositioni se submittat, et obtemperet, donec res aut Vice-Archi-Diacono, aut Ordinario fuerit proposita, et decisa.

8-o. Meminerint quoque Cooperatores, aut in alio quoconque munere constituti Sacerdotes, neminem ad beneficium ecclesiasticum, curamque parochialis Ecclesiae adspirare posse, qui non fuerit prius praevio synodali examine probatus, et idoneus repertus; nonnisi illi, de quorum praeclera scientia sacra, et probitate aliunde certo constat, ab hoc examine dispensatione Episcopi, vel Vicarii Capitularis eximen-

tur. Sicut vero ante completum triennium in cura animarum nullus ad examen synodale admittitur, ita illud ultra quinquennium a Primitiis protrahere vetitum est, et depositum (nisi cum praeclaro eminentiae calculo terminatum esset), post sexennium denuo renovari debet. In nexu horum subjungimus in Appendice (Vide Nrum V.) Constitutionem, quam Praesules Hungariae anno 1850. Strigonii in Conferentia congregati, unanimi voto in universa Ecclesia hungarica observandam praescriperunt, a Sua quoque Majestate Caesareo-Regia, dto 10-ae Febr. 1853. approbatam, et intimatam.

9-o. Nullus porro Sacerdos, spreta in vestibus forma ecclesiastica, laicis conformari delectetur; talari proinde nigri coloris cum cingulo congruente utatur omnis, collare, tonsuramque gestet; pileo decenti caput tegat, cappa clericali decori parum conveniens est, ideoque nemo eam portet, nisi ad summum tempore hyemis vel itineris; omnes proinde habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque rebus, nihil nisi grave, moderatum, et religione plenum praeseferant.

10-o. Hortamur demum, et per viscera misericordiae Dei obsecramus cunctos, ne nimia aviditate consequendorum beneficiorum abrepti, illa indignis, vetitis, et per Ecclesiam damnatis mediis acquirere studeant, ne iram Dei in se provocent, in censurasse gravissimas incurant. Summopere caveant idcirco, ne ejusmodi pestilentia inficiantur, Ecclesiae inferant opprobrium, animae suae exitium, Superioribus luctum et dolorem.

§. 5.


De Regularibus, et eorum Obligatione.

Religiosos Ordines ab antiquissimo tempore praestantissima subsidia Ecclesiae Catholicae praestitisse, indubium est: praedicatione verbi divini Ecclesiam dilatarunt, contra adversarios invicta defenderunt, doctrina sua illustrarunt, sudore et sanguine suo irrigarunt, speciatim in Hungaria sub occupatione et jugo Turcarum vix non soli exclusive Religionem Catholicam conservarunt. Similia praestantia subsidia, et plura alia, etiam nunc ei praestare possunt, tum praebendo omnium virtutum exempla, et pro salute mundi preces effundendo, tum suscipiendo, et exequendo omnis generis opera, quae vel ad misericordiae, et charitatis exercitium pertinent, vel ad gloriam Dei, zelum animarum, et scientiarum cultum conducunt. Quapropter hortamur omnes, qui intra ambitum Dioecesis Nostrae degunt, ut se semper Nobis in agro Domini excolendo pios auxiliatores, et strenuos cooperatores exhibant, atque arctissimo concordiae, et charitatis foedere saeculari Clero conjuncti nihil antiquius habeant, quam in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, consociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper charismata meliora.

Hoc autem tunc solum effective fieri poterit, si ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam suam instituerint, et vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, ac si quae sunt aliae alicujus Ordinis Constitutiones, conscientiose servaverint; speciatim

autem sui ordinis habitum constanter gestaverint, neque ab iis, quae a Joanne Cardinale Scitovszky, Archi-Episcopo Strigoniensi, et Primate Regni Hungariae, qua Visitatore Apostolico, die 5-a Sept. 1854. item die 19-a Maii 1855. pro Religiosis Provinciae S. Ladislai, et S. Joannis Capistrani; prout et Provinceiae Marianae 1854. die 20-a Junii, nec non die 28-a Maii 1854. pro Religiosis Ordinis S. Joannis de Deo praescripta, et decreta sunt, ullo sub colore recesserint.

Sicut vero Parochi, Parochiarumque Administratores, et quotquot sunt de Clero saeculari tenentur Religiosos tamquam manum subsidiariam in excolenda vinea Domini, sincera charitate diligere, et in honore habere, „**Unum quippe corpus et unus Spiritus esse debent, sicuti vocati sunt in una spe vocationis suae.**“ Ephes. IV. 4. Neque idcirco dubitamus, quod animarum Curatores eos seu in itinere, seu in collectione constitutos, ne in diversoriis, aut privatorum domibus morari cogantur, ingratavim et libenter hospitio sint excepturi, omnique benvolentia ac charitate sint prosecuturi: ita vicissim exigimus, ut Religiosi Clerum saecularem honore praeveniant, illius jura vel auctoritatem nullatenus imminuant, et dum exposcente necessitate invitati, ac evocati fuerint ad succursum Parochis praestandum, prompte et alacriter subsidium hoc in verbi divini praedicatione, et Sacramentorum administratione sint suscepturi, per quod et Deo gratum, et Ecclesiae utile officium sunt praestituri.



APPENDIX.

NUMERUS I.

Explanatio Casuum Reservatorum.

Dubium non est apud omnes catholice sentientes, munus Confessarii laboriosum quidem, ast Ecclesiae utilissimum, et saluti animalium prorsus necessarium esse, in tribunali enim Confessionis sanantur vulnera animae, peccata auferuntur, peccatores emendantur, lapsis innocentia, et via ad coelum aperitur, ut adeo S. **Pius Papa V-us** non dubitaverit asserere: „Dentur idonei Confessarii, ecce omnium Christianorum plena reformatio,“ Catechismus vero Romanus fidenter pronunciat: „Omnibus fere piis persvasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis, et Religionis in Ecclesia, summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte Confessioni tribuendum esse: ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae, et satellites, hanc velut christianae virtutis Arcem, totis viribus opugnare conatum esse.“

Nihilominus dum Confessarius sacrum suum munus obit, cognitum habere debet, et bene advertere, quanta sit auctoritas, potestasque jurisdictionis suae? ita ut sciat, quos, et a quibus peccatis absolvere possit, caveatque, ne facultatis suae limites praetergrediantur: nam ut Conc. Trident. Sess. XIV. 7. loquitur: „Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persvasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse deberet, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.“

Quapropter cum Casuum in Alma hac Dioecesi Episcopo reservatorum dilucidatio, et plenior explanatio, ad notitiam nostram non praeeexistat, iique taliter non modo diversis interpretationibus pateant, sed et in praxi Confessariis haud raro dubia, et anxietates creent: hinc pro clariori posthac Confessariorum directione, atque ad quietandas eorum conscientias, constituimus sequentem Casuum horum reservatorum explanationem, deinceps pro cynosura deservituram, extradandam.

Dari in Ecclesia Dei potestatem reservandi atrocia quaedam et graviora crimina, a quibus inferiores Confessarii absque speciali licentia et facultate a summis dumtaxat Sacerdotibus praevie obtenta, absolvere nequeunt, doctrina est catholica omni aevo servata, et a Concilio Trid. expresse definita. Ac nequis contendere possit reservationem hanc ad forum conscientiae non pertinere, sed ad exteriorem tantum disciplinam Ecclesiae, idem Concilium Trid. Sess. XIV. 11. statuit: Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casum reservationem non prohibere, quomodo sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit. Finis hujus reservationis est: ut peccatores gravitatem suorum peccatorum clarius cognoscant, et ab iis fortius deterrentur, tum ut sanandis gravioribus animae morbis, peritiores, et experientia magis exercitati Confessarii dent operam.

Peccata igitur, a quibus inferiores sacerdotes absolvere nequeunt, ob restrictam per superiorem jurisdictionem, Casus reservati vocantur, a quibus proin nullus sacerdos excepto articulo mortis, absque speciali facultate, poenitentes absolvere potest. Ut autem peccatum quodpiam reservationi subjaceat, certas habere debet conditio-nes, quae ordinarie sunt sequentes:

1-o. Ut sit peccatum grave, seu mortale, id exigit ipse finis reservationis, tum id, quod venialia peccata necessariam Confessionis materiam non costituant. Hinc, cum peccatum ex genere suo mortale possit evadere veniale, vel ob parvitatem materiae, vel ex defectu requisitae ad peccatum mortale cognitionis, et advertentiae, vel denique ex fine et circumstantiis, si ob quamecumque ex his cau-

sam, peccatum ex objecto suo mortale, prudenti judicio censeretur esse veniale, cessat esse reservatum.

2-o. Sit externum, seu ut per actum externum se prodat, non quasi peccata mere interna non possint esse aequa gravia, aut clavibus Ecclesiae non pariter subjacent, sed quod Ecclesia ex son ticiis causis non soleat huiusmodi peccata interna reservare. Attamen ut externum sit peccatum, non requiritur, ut sit publicum, vel in aliquibus notitiam venerit; satis est, ut exterius sit commissum, quamvis penitus occultum.

3-o. Sit completum, id est, subsecuto effectu consummatum, et non animo solum conceptum, vel inchoatum tantum, nisi id in statuto specialiter sit expressum, quod ab arbitrio et voluntate reservantis dependet.

4-o. Ut sit certum, videlicet absit dubium, an peccatum, quod certo constat esse reservatum, a poenitente sit commissum, vel an revera grave fuerit, vel tantum veniale, quia reservatio, cum sit lex poenalis, debet restringi ad casus certos non dubios. Dubium tamen, aut etiam ignorantia poenitentis, peccatum suum esse reservatum Episcopo, eum a reservatione haud eximit.

5-o. Ut peccatum sit formaliter tale: hinc v. g. cognoscens consangvineam, ignorans esse talem, peccat quidem, sed reservatio nem non incurrit.

Quod jam spectat ad ipsos casus reservatos in specie, ii sunt sequentes:

I. Haeresis externa.

Haeresis est doctrina certo ac definito fidei catholicae dogmati contraria, et haereticus est, qui christianam fidem profitetur, haeresim tamen probat atque defendit. Qui haeresim mente tantum, ac cogitatione fovet; haereticus internus, qui eam verbis, signis, aut factis significanter declarat, externus audit; isque, si ex ignorantia quantumvis superabili illud faciat, caetera paratus ad errorem cognita veritate deponendum, materialis; si scienter et cum pertinacia in errore perseverat, formalis appellatur. His praemissis, cum Ecclesia non conserverit peccata mere interna reservare, haeresis solum externa, signo externo manifestata, etiamsi de reliquo

occulta, seu in publico haud nota, ac una formalis, seu cum pravo animi affectu, et pertinacia conjuncta, casum reservatum constituit. Proin ii, qui non ex malo animo aut pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitae informationis vel ex positive sinistra informatione errant circa fidem, quoniam tales juxta s. Augustinum Can. 29. Caus. 24. qu. 3. non sunt inter haereticos stricte tales deputandi, reservati non subjacent; ideoque a quovis Confessario in Dioecesi approbato absolvvi possunt.

II. Incestus.

Incestus est copula carnalis cum consanguinea, vel affine, intra gradus ad contrahendum matrimonium prohibitos, seu quartum consangvinitatis, et legitimae affinitatis gradum inclusive. Nihilominus reservatio incestus ad quartum consangvinitatis et secundum legitimae affinitatis tantum gradum se extendit. Nec incurrit reservationem: 1-o qui carnaliter peccat, aut conjugium init cum consanguinea suae sponsae, quam nondum carnaliter cognovit, 2-o qui carnaliter delinquit cum cognata legali per adoptionem vel arrogationem, 3-o qui peccat cum cognata spirituali ex Baptismo vel Confirmatione. In nexus isthic statim subjungendum censuimus, quod cum facultate ab hoc crimen absolvendi conjungamus una potestatem, amissum in occursum casibus jus petendi debitum conjugale restituendi.

III. Raptus.

Raptus dicitur personae violenta abductio de loco in locum moraliter diversum, libidinis exercendae, vel etiam matrimonii cum ea ineundi causa. Ex qua definitione sequitur obnoxium esse reservationi casus praesentis tam eum, qui foeminam per vim ad libidinem explendam abducit, quam et illum, qui fine ineundi matrimonii eam invitam rapit, cum talis ipso jure sit excommunicatus, ut clare patet ex Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. 6-o de ref. matr. Nihil vero attinet, sive vis adhibita sit physica, sive moralis, dummodo abductio fiat muliere repugnante, nec juvat quidquam, etiam si raptor in abducta muliere libidinem suam haud expleverit, dummodo fine hoc abductio contigerit. Caeterum raptui opem, consilio, auxilio, et

favore ferentes, licet ex praelaudati Conc. Trid. decreto Cap. 6-o incurvant excommunicationem latae sententiae, hanc tamen, velut ex sensu Theologorum nulli reservatam, peccatumque eorum non esse de reservatis Ordinario, declaramus.

IV. Procuratio abortus.

Procuratio abortus est foetus humani studiosa, adhibitis mediis praematura ex utero expulsio. Incurrunt hoc crimen mulieres, quae scienter ac malitiose sive sumtis medicamentis, sive alio modo foetum immaturum ex utero propellunt, aut intra materna viscera enecant, insuper omnes, qui vel quae ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia medicamenta scienter suppeditant, si effectus reipsa subsequatur. Locum habet haec reservatio sine distinctione, an foetus fuerit animatus, vel non animatus, et si enim haec distinctio relate ad incurrendas poenas ecclesiasticas (excommunicationem scilicet latae sententiae Episcopo, irregularitatem vero Pontifici reservatam) adhucdum obtineat; cum tamen per abactionem foetus, quounque tempore post conceptionem, semper homo, qui in embryone latet, interimatur: idcirco hujusmodi foetus abortum directe procurantes, reservationi sine discrimine subjacent.

V. Bestialitas.

Bestialitas, seu coitus hominis cum bruto, sive ejusdem sexus sit, sive non, velut immane scelus, quod Deus in veteri Testamento Exodi XXII. 19. morte puniendum praecepit, in hac Dioecesi reservationi subest.

VI. Incendiariatus.

Crimen incendiariatus committunt, qui scienter, et deliberato animo, sive ex odio et vindicta, sive alicujus lucri captandi studio, Ecclesias, oppida, pagos, praedia, domos, vel alia aedificia, aut bona aliena: ut segetes, acervos frugum aut foeni, sylvas etc. per se, vel per alios apposito igne incendunt, aut iis opere, auxilio, mandato voluntarie cooperantur. Nec interest, an effectus plenarie, vel ex parte solum sequatur, dummodo damnum alterius interveniat. Reser-

vationi pariter subjacet, qui propriam domum succedit ea cum maligna intentione, ut vicina flamمام concipiatur, aut propriam accedit, dum praevide potuit vicinam quoque comburendam. Immunes vero a reservatione sunt milites, qui in bello jussu ducis hostilia flammis disperdunt, prout et qui ex inadvertentia, aut alia sua culpa sine intentione incendium causant.

VII. Violatio Ecclesiae.

Violatio Ecclesiae proprie fit per effractionem, cum aliqua spoliatione ejus, dum nimirum sacrae aedes usibus celebrandorum in iis Divinorum actu inservientes, effractis portis, et claustris, aut perforatis muris expoliantur. Ex quo colligitur, neque solam effractionem, neque vice versa solam spoliationem, etsi gravem, sufficere ad reservationem, cum utrumque necessarium sit ad incurrandam excommunicationem huic criminis adnexam, ut patet ex Cap. XX. de sententiā excommunicationis. Incurrunt eam non solum, qui calices, patenas, ciboria, monstrantias, praesertim cum sacrilega profanatione ss. Eucharistiae, item res sacras cultui divino externo dicatas, uti lampades, candelabra, imagines, indumenta sacerdotalia, sed etiam qui alia Ecclesiae pretiosa, et pecunias e locis sacris abripiunt. Violatio nihilominus Ecclesiae improprie talis, quae per pollutionem ejus fit, etsi Ordinario insinuanda, reservationi tamen haud subest.

VIII. Homicidium voluntarium.

Homicidium voluntarium dicitur, quod animo occidendi injuste committitur; differt idcirco a casuali, quod fortuito casu evenit, quin vel intentum, vel praevisum fuerit, et a justo, quod in bello legitimo, et auctoritate publica, vel contra injustum vitae adgressorē servato moderamine inculpatae tutelae, patratur. Hinc 1-o Reservationi subsunt omnes illi, qui proximum ferro, veneno, aut quoconque alio modo deliberata voluntate perimunt. 2-o Sufficit ad reservatum casum, etiamsi non directe, et immediate mors alterius intendatur, dummodo delictum sit voluntarium in sua causa, quae videlicet proxima, et ex se ita comparata est, ut mors inde secutura potuerit praevideri, e. g. si quis scienter alteri mortiferum praebat venenum,

licet mortem ejus directe non intenderit, si tamen ex porrecto toxicō mors sequatur reservationem incurrit. 3-o Omnes, qui non quidem immediate, et per se hominem interficiunt, sed mediate et per alium, veluti jussu et mandato, consilio, aut consensu mortem alteri conciscunt. 4-o Pariter omnes, qui latrocinium exercentes, aut secus ad inferandam necem conjurati quempiam interimunt, etiamsi lethale vulnus unus tantum eorum intulisset, et quisnam ille sit ignoretur. 5- Pejerantes, qui seu vindictae studio, seu per alium illecti, in Iudicio scienter falsum, juramento confirmatum, testimonium hac intentione perhibent, ut accusatus extremo supplicio afficiatur. Quo in casu etiam is, qui alterum ad committendum perjurium svasu, minis, aut pacta mercede impulsisset, reservationis vinculo tenetur.

IX. Percussio parentum.

Delicti hujus reos se faciunt, qui in proprium patrem, aut matrem violentas manus injiciunt, sauciant, verberibus afficiunt, alapis caedunt, calce feriunt, aut per crines raptant. Reservatio tamen huic adnexa non se extendit ad percussionem vitri, vel novorcae; immo, quamvis grave atroxque delictum sit, nec ad hujusmodi injuriam avo, aviaeque illatam, cum reservatio strictae sit interpretationis. Caeterum cum per levem etiam percussionem gravis injuria et irreverentia ex sensu hominum irrogetur parentibus, nisi indeliberatio actus, vel propria haud injusta defensio a mortali peccato, ac per consequens a reservatione excuset, etiam levior percussio reservationi subjicitur.

X. Falsificatio monetarum, mensurarum, et ponderum.

Falsarii monetarum sunt ii, qui adulterinam monetam cudunt, seu falsae materiae et ponderis, seu justi etiam valoris, et ponderis, sed privata incompetente auctoritate: ad legitimam quippe monetam non sufficit sola debita materia, verum requiritur etiam forma publica, quae in moneta privata auctoritate cusa deest, ac falso fingitur. His merito aequiparantur illi, qui pecuniam representativi valoris in publico cursu constitutam (Banenottas) conficiunt, et pro genuina ex-

pendunt, aut qui monetam publicam tondendo, scindendo, radendo, in legitimo suo pondere, et valore vitiant. Hi proin, et omnes, qui ad delictum hocce jussu, consilio, et opere efficaciter concurrunt, sub reservationem cadunt.

Falsarii ponderum et mensurarum sunt illi, qui stateras, aut publice probatas vini, frumenti, aut cuiuslibet rei mensuras corrumptunt, vel ita corruptis ponderibus et mensuris scienter utuntur. Hos pariter reservationem incurrere extra quaestionem est; eos tamen, qui justis ponderibus et mensuris fraudulenter utuntur, seu defraudent, reservationem non incurrere declaramus.

Hi igitur proprie sunt casus in Alma Dioecesi nostra Ordinario reservati, quod enim in Directorio ponitur de concubinariis, hos absolv non posse, nisi dimissis concubinis, non fit vi alicius reservationis, sed quod ii, quamdiu concubinas suas non dimittunt, proximam peccandi occasionem deserere nolint, et idcirco sincero emendationis proposito substituti absolutionis capaces haud sint.

Ab his autem casibus, juxta praevie expositum sensum, et extensionem, poenitentes vere contritos, et confessos, injuncta eis pro gravitate criminis commensurata poenitentia, sacramentaliter absolvendi facultatem concedimus *a) Canonico Poenitentiario, et caeteris Cathedralis Ecclesiae nostrae Canonicis actualibus, et honorariis. b) Cunctis ordinariis et surrogatis Districtuum Vice-Archi-Diaconis, eorumque Spiritualibus. c) Singulis Conventuum Religiosorum Ordinis S. Francisci utriusque Provinciae in Dioecesi existentium Gvadianis, aut Praesidibus. d) Illis Dioecesis nostrae Parochis et Presbyteris, qui hanc facultatem jam ab Antecessoribus nostris Episcopis obtinuerunt. e) Denique per Octavam Festi ss. Nominis JESU, item Festo ss. Nominis B. M. V. et Festo Patrocinii cuiuslibet Ecclesiae Parochialis, et die, qua Indulgientiae plenariae alicui Capellae, intra ambitum Parochiae sitae concessae sunt; facultas haec extenditur etiam ad parochos in suis Parochiis, si non adsit alius hac facultate provisus. Omnibus tamen hic recensitis tribuimus hanc facultatem absque potestate eam aliis seu generatim, seu in specialibus casibus subdelegandi. Si qui praeterea citra restrictionem praecoxistitarum dicernum, ob locorum adjuncta, et ex gravibus causis hac facultate pro-*

videri vellent; ii recursus suos cum expositione motivorum ad Nos forment.

Pro uberiore hac in re instructione adhuc sequentia hic monenda duximus: 1-o. Per articulum mortis, in quo nulla datur reservatio, sed omnes Sacerdotes, a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt, non tantum intelligitur stricte articulus mortis, sed etiam quodvis grave periculum mortis, quod tunc adesse censemur, cum prudens metus, et justum dubium proximae secuturae mortis occurrit, sive proveniat ex morbo, vulnere, partu, lapsu, apoplexia, sive ex praelio, naufragio, etc. 2-o Potestas Confessarii non potest dimidiari, ut nimirum poenitens reservatum habens, absolvatur a non reservatis, quoad reservatum vero ligatus maneat, quia integritas Confessionis et absolutionis est juris divini, nec remittitur unum peccatum mortale caeteris mortalibus non dimissum. 3-o. Confessarius facultate a reservatis casibus destitutus, poenitentem casui reservato innodatum moneat de gravitate et turpitudine hujus peccati, eique declaret, aut adeundum esse alium Sacerdotem facultate absolvendi instructum, aut suam offerat operam, quod scilicet ipsem tecto nomine petiturus sit ab Ordinario facultatem absolvendi. 4-o. Nonnisi in casu summae necessitatis, si ex dilatione absolutionis gravissimum immineret periculum infamiae, aut scandali, quod ob concurrentes circumstantias nullo alio modo evitari posset, concedimus talēm, securis vere poenitentem a non privilegiato Confessario absolvī posse, cum onere tamen, ut poenitens quo ocyus fine adhibendae nefors uberioris salutaris correctionis, aut coram Confessario facultate a reservatis instructo se pro Confessione denuo sistat, aut casus tacito nomine Ordinario eodem scopo substernatur, ut sic poenitens inde per dictum Confessarium salutaria peccati remedia obtineat.

Haec sunt Dilecti in Christo Fratres et Filii, quae de Casuum Ordinario Reservatorum sensu, extensione, limitibusque vobis subministranda duximus, ut submotis quibusvis arbitriis interpretationibus, errandi periculis, tutum deinceps tramitem sequi valeatis. Cae terum exhortamur vos hac occasione per viscera misericordiae Dei: ut ardenter habeatis zelum lucrandarum Deo animarum! Vel unius namque animae salus tantum bonum est, ut nullius omnino rei cre-

atae pretio aequiparari possit, pretium animae sanguis Christi est, magnitudo pretii ostendit pretiosam! Quapropter estote abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. I. ad Cor. XV. 58. Ut tali ter digni aliquando inveniamini consequendi proemia aeterna per gratiam Salvatoris nostri JESU CHRISTI, cui sit gloria, laus, et honor in secula seculorum Amen. Datum Quinque-Ecclesiis in solita nostra Residentia. Festo s. Martini Episcopi, anno Domini 1853.

1735/1853.
Georgius Girk, mp.

Episcopus Quinque-Ecclesiensis.

NUMERUS II.

Norma administrationis sacri Ecclesiarum et piarum Fundationum peculii.

GENERALIS NORMA.

§. 1.

Superinspectionem sacri peculii Ecclesiarum, et parochialium beneficiorum in Dioecesi tenet Ordinariatus, qui conscientiosam ejus administrationem procurat. Scopo hoc utitur immediate opera ordinariorum, vel surrogatorum Vice-Archi-Diaconorum.

TITULUS PRIMUS.

De Administratione Sacri Peculii Ecclesiarum, et piarum Fundationum.

CAPUT PRIMUM.

Personae, quibus administratio sacri hujus peculii concreditur.

§. 2.

Peculum sacrum cuiusvis singularis Ecclesiae, et piarum ad eam spectantium fundationum administrat Parochus, vel pro tempore

Parochiae Administrator, qua in re Communitas partem capit per duo Communitatis membra; repraesentatio tamen Communitatis, pro ratione adjunctorum potest esse etiam major.

§. 3.

Ecclesiae Patrono integrum est, seu in persona, seu repraesentantis medio, in congruam sacri peculii Ecclesiae administrationem cooperari.

§. 4.

Assumendi pro administratione sacri peculii Communitatis viri catholici, debent esse morum exemplarium, fidei integrae, et opibus provisi. Idem erga propositionem parochi, qui ad justa parochianae Communitatis desideria reflexionem habere debet, ab Ordinariatu ad triennium constituuntur. Evoluto hoc termino ii ipsi rursus proponi, et constitui possunt; quodsi vero aliquis eorum intra hoc tempus necessariis qualitatibus destitutus reperiatur, poterit etiam ante elapsum triennium removeri.

§. 5.

Vice-Archi-Diaconus constitutos ab Ordinariatu Communitatis viros in officium suum introducit, qua occasione eos energice adhortabitur, ut peculium Ecclesiae cordi habeant, munusque suum fideliter, ac conscientiose obeant; iisdem Rationes Ecclesiae ultimi anni, non secus et Inventarium rerum Ecclesiae pro inspectione communicabit, ut de omnibus debitam notitiam acquirant.

§. 6.

Virii hi e Communitate pro administratione sacri peculii assunti, munus suum de regula gratis obibunt; ideoque digni sunt, ut eis in Ecclesia et in processionibus, honorificentior prae caeteris locus obveniat.

§. 7.

Habent jus, imo obligationem invigilandi, ne sacrum peculum Ecclesiae, et piarum Fundationum, cum praejudicio, vel damno juriū

Parochi, vel Administratoris manipuletur. Officio suo decedentes pro tempore administrationis boni Ecclesiae responsabiles manebunt more aliorum Tutorum.

§. 8.

Administrationis membra pro adjunctis omni mense sub praesidio Parochi, et erga ejus convocationem, Consultationem servabunt, ad quam etiam Patronus, vel ejus Repraesentans condecenter invitandus est. Super consultatione duci debet protocollum, per praesentes omnes subscribendum.

§. 9.

Membra Administrationis pro stricta observantia omnium normarum, et dispositionum, quae se ad hanc ipsam administrationem, et debitam peculio sacro procurandam securitatem referunt, fidejussores sunt, ac idcirco etiam pro quovis damno, quod e culpa eorum proveniret, indemnitatem praestare debent.

CAPUT SECUNDUM.

Normae in administrando Sacro Ecclesiae peculio observandae.

§. 10.

Peculium Ecclesiae constituant: praeter paramenta, pretiosa, utensilia pro cultu divino necessaria, aliaque mobilia, insuper: aedificia, fundi immobiles, capitalia, et jura, quorum usufructus, census, et reditus, ad supportandas cultus divini indigentias, et in quantum salvis his fieri potest, etiam ad conservandas aedilitates ecclesiasticas sunt destinati.

§. 11.

Penes omnem Ecclesiam, sive illa sit parochialis, sive filialis, debet adesse Inventarium omnium mobilium, et immobilium rerum, quod occasione cuiusvis mutationis Curati, semper in triplici exemplari de novo conficiendis erit, e quibus unum deponetur ad cistam Ecclesiae, alterum infertur Archivo Episcopali, tertium vero Excelso

Reg. Gubernio submittetur. In Inventario hoc, quidquid seu ad substantiam accesserit, seu ab ea decesserit, aeducate semper praenotandum erit.

§. 12.

Quaevis Parochia provisa esse debet tribus bonis seris instructa cista, in ipsa aede parochiali asservanda, atque ad id destinata, ut in ea instrumenta litteraria, Inventarium rerum, litterae fundationales, corpus rationum, Obligatoriales, demum aec paratum conservetur, demta ea summa, quae foenori elocanda est, item quae ad necessitates minores tegendas, et ad quotidianas solutiones facientes praesto esse debet. Claves hujus cistae, quae pro cuiusvis Ecclesiae peculio, si hoc distinctim administretur, distincta esse debet, inter membra administrationis bonorum Ecclesiae sic distribuentur, ut unam earum teneat Parochus, singulum item Administrationis membrum unam prae manibus habeat, (ubi plura essent administrationis individua, claves duo Seniores teneant,) suapte intelligitur, cistam semper in praesentia omnium trium Administratorum aperiendam, et post terminatum negotium mox rursus claudendam esse.

§. 13.

Administratio peculii Ecclesiae eo suas curas dirigendas habet, ut reditus Ecclesiae exclusive solum in cultus divini necessitatem, et provida semper cum parsimonia impendantur. Non eis integrum erit citra scriptam Ordinariatus facultatem ultra 20 finos a. w. pro necessitatibus eventualibus erogare, et si quando amplius foret expendendum, tunc partium eorum erit, motivis bene instructum, et declaratione patroni quoque provisum catenus Projectum, via officii V. A. Diaconalis, Ordinariatu submitti curare, et indultum abhinc praestolari; sequitur ex hoc, Patrono jus decisivum quoad erogationes faciendas competere non posse.

§. 14.

Habent Commissarii Administrationis bonorum Ecclesiae obligationem curandi, ut Capitalium interusuria, et reditus Ecclesiae ex aliis realitatibus debito tempore leventur, ac producta in natura sub hasta

plus promittenti semper vendantur. Collecta eleemosyna, prout omnes perceptiones, erogationes, accurate Diario inserantur, et respective Casae Ecclesiae inferantur. Quod si immobilia in censum elocanda adsint, projectum arendalis contractus semper prius Patrono Ecclesiae, tunc vero Ordinariatu praesentabitur, curabuntque, ut Capitalia Ecclesiae post obtentam solum Ordinariatus, Patronique declarationem, et cum omnimoda hypothecaria securitate foenori, pro posse in ipso semper loco propter faciliorem supervigilantiam, nunquam tamen ipsis membris administrationis, eloquentur. Sine Patroni Ecclesiae, et Ordinariatus consensu, nefas est Commissioni Administrationis processum quoad Ecclesiae jura inchoare; quodsi Patronus Ecclesiae adductum in controversiam Ecclesiae jus medio sui fiscalis defendere velit, hoc ei integrum omnino erit; caeterum Ecclesiarum, quae Patronatui Summi terrae Principis, item fundorum publicorum, Religionis, et Studiorum subsunt, forenses causas Caes. Reg. financiales Procuratores acturi sunt.

§. 15.

Commissione Administrationis scire debet, bona Ecclesiae ab alienari, imminui, vel onere quopiam aggravari nullatenus posse. Casus extraordinariae exceptionis via officii V. A. Diaconalis per modum projecti sunt semper insinuandi Ordinariatu, cuius deinde erit ad exigentiam Art. XXX. Concordati procedere.

CAPUT TERTIUM.

Normae in erigendis, et administrandis piis fundationibus tenendae.

§. 16.

Piae fundationes, per quas immobilia, vel mobilia bona (uti agri, capitalia, redditus) pro perpetuis temporibus curae Ecclesiae creduntur, et ab hac cum obligatione persolvendorum anniversariorum Sacrorum, vel peragendae certae devotionis, vel pro conservandis ecclesiasticis monumentis, Ecclesiis, crucibus, statuis, altaribus, imaginibus etc. acceptan-

tur, e natura sua ad sphaeram activitatis spectant Ordinariatus, cuius est decernere, num aliqua pia fundatio, et cum ea connexa obligatio acceptari possit, vel non? Consequenter etiam unice ad jus Ordinariatus spectat: Litteras fundationales, quas in sensu ss. Canonum, et lingua etiam latina concipere oportet, exarare, et parochium in conscientia obstringere, ut praescriptas obligationes conscientiose semper expletat. Caeterum Ordinariatus non intermetit unum adprobatae, ac coordinatae piae Fundationis exemplar, in charta tymbro vacua scriptum, Excelso Regio Gubernio submittere.

§. 17.

Quoad quantitatem pecuniae, quae secure elocanda fundum praebeat pro celebrandis perpetuis Sacris anniversariis, instar cynosurae servit Statutum Synodale, pagina 27-ma.

§. 18.

Quare obligatio Administrationis sacri peculii Ecclesiae (quoad has Fundationes) extendit se solum ad securam elocationem, et conservationem Capitalis fundationalis, tegendasque alias Fundationes pias; quo in merito normas §-i 14-i praescriptas observandas habebit. Singulariter vero parochi officium erit, factas in ambitu parochiae suae fundationes fine acceptationis, et coordinationis Ordinariatu in sinuare, et positivam Fundatoris voluntatem clare exponere.

§. 19.

Quod Fundationes jam praecurrentes attinet, eae in regula in eo statu permanent, prout tenoribus litterarum fundationalium ab Ordinariatu approbatarum praescriptum est. Quodsi tamen doceatur, dotem fundacionalem imminutam esse, et non jam suppeditare tantum emolumentum, quantum obligationi explendae sufficeret; porro, quod redintegratio originalis Capitalis nullatenus jam effectuari queat, et quod huicadusque reductio facta non fuerit: in casu hoc Ordinariatus imminutionem onerum faciendi licentiam a s. Sede Apostolica impetrabit.

§. 20.

Rationes de piis Fundationibus omni anno reddenda sunt eodem tempore, quando de fisco Ecclesiarum exhibentur Rationes.

Formam parandarum Rationum praescribunt Circulares dto. 12-ae Julii 1857. sub Nro. 1171/1857.

CAPUT QUARTUM.

Administrationis sacri Ecclesiarum peculii, et piarum fundationum supervigilantia, et ratiocinium.

§. 21.

Vice-Archi-Diaconus, vel ejus substitutus, potestatem habet quandocunque Cassam Ecclesiae ex improviso revidendi, imo ad hoc omni anno semel faciendum obstrictus plane est, qua occasione Obligatoriales, Contractus, Diarium, et Protocollum inspiciet, verbo Cassam Ecclesiae rite pervestigabit, desuper Ordinariatui relationem praestiturus.

§. 22.

Patrono postulante, ut in ejus, vel Repraesentantis sui praesentia, status aedium, aut peculii Ecclesiae suo patronati obnoxiae, pervestigetur, Ordinariatus non difficultabit, ut idmodi postulato Patroni satisfiat.

§. 23.

Administratio bonorum cuiusvis Ecclesiae obligatur cum fine singuli anni a Januario computandi, documentatas Rationes de fisco Ecclesiae in triplici exemplo exhibere V. A. Diacono, vel ejus Surrogato, qui revisas a se, et nominis sui subscriptione signatas Ordinariatui praesentabit. Superrevisione rationum per Consistorium terminata, unum Exemplar rationum remittitur Rationantibus, alterum Exc. Reg. Gubernio exhibetur, tertium vero ad Archivum Episcopale reponitur.

§. 24.

Bonificationem in 2 flnis cm. pro expensis itineralibus solus V. A. Diaconus percipit e fisco cuiusvis parochialis Ecclesiae, ea de causa, quia juste practendi haud potest, ut is ad proprias suas expen-

sas circumeat per Districtum causa revisionis Cassarum, et insuper Supplentem domi, (si Cooperatore careret) honorario provideat.

§. 25.

Tantum in Parochiis fundorum publicorum, obligatur Administratio bonorum Ecclesiae annuis rationibus etiam Inventarium cum indicatione incrementi, vel decrementi substantiae Ecclesiae, item documenta in corpore rationum provocata, numeris provisa, adnectere.

§. 26.

Formularia parandis rationibus deservientia, et hucusque usitata, postmodum quoque retinebuntur, eo solum addito, quod Rationes in Valuta Austriaca sint reddendae.

§. 27.

Finales annuae Rationes, ad quarum conclusionem Patronus Ecclesiae, vel ejus Repraesentans semper evocandus est, per omnia Administrationis membra subscribendae, et per V. A. Diaconum, uti 23-o §-o dictum est, roborandae erunt. Quodsi Patrono Ecclesiae, vel ejus Repraesentanti possibile haud foret præteractiōne intervenire, in casu hoc Administratio bonorum Ecclesiae, ejusdem super his rationibus cum eo communicandis declarationem expetet, hancque Ordinariatui praesentabit.

TITULUS SECUNDUS.

De administratione peculii singulorum Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

De obligationibus, quae Beneficiatis circa administrationem peculii ad beneficium pertinentis, incumbunt.

§. 28.

Peculium Beneficiorum omne illud emolumētum constituit, quod in Decreto Visitationis Canonicae sub §. „Proventus Parochi“

vel in recentioribus legalibus Contractibus continetur, una cum sic dicto Fundo Instructo. Tam Visitationis Canonicae Decretum, quam Contractus, si talis praesto esset, cum fundo instructo Successori sunt resignanda, qui memor juramenti sui, fideli semper memoria tenebit, in conscientia obligari se ad illibate conservanda, ac respective cultivanda bona immobilia, et caetera cuncta objecta Inventarii Parochialis, non secus ad aedilitates parochiales, pro suo ac Successoris commodo. De abalienatione, immutatione, vel inoneratione peculii parochialis, citra praescitum Ordinariatus utique nec sermo esse potest.

§. 29.

Tam Bonorum Administratio, quam etiam V. A. Diaconus authosati sunt, et obligantur etiam beneficiatum intuitu occurrentis nefors neglectus circa aedificia, quorum minores reparationes ipsi incumbunt, item Sessionem Parochialeam, ad officium suum sine dilatione reflectere; monitis non proficientibus, denunciatio facienda est Ordinariatu.

CAPUT SECUNDUM.

Normae administrationis peculii vacantium beneficiorum

§. 30.

Enata in parochiali Beneficio vacanta, Ordinariatus in regula Administratorem constituit, curamque Ecclesiae, et Beneficii vacantis tam in spiritualibus, quam temporalibus, eidem committit; cumque secundum s. Scripturam „dignus sit operarius mercede sua“ Administrator pro rata temporis omnes beneficii fructus percipit.

§. 31.

Vice-Archi-Diaconus Districtualis in concursu Administratio-
nis curabit, ut omnia tam in Ecclesiae, quam Beneficii Inventario
comprehensa, a postuma defuncti substantia, aut a privata Beneficiati
recedentis proprietate, debite secernantur, et, si necesse esset, redin-

tegrata Administratori debito modo resignentur. Ad memoratam separationem, et redintegrationem, Patronus Ecclesiae, vel ejus Repraesentans, vel ideo est vocandus, quia una aedilitates quoque inspicendae sunt, et pro re nata earum reparatio, et concurrendi obligatio, ex parte posthumae defuncti substantiae, vel recendentis Beneficiati, est decidenda. Si hoc ex incidenti controversia de jure Ecclesiae, vel Beneficii oriretur, Administratio se eatenus mox ad Patronum Ecclesiae, et Ordinariatum convertet.

§. 32.

Quamprimum novus Beneficiatus Canonicam obtinuerit Investitionem, Ordinariatus non intermitte quoad Summi terrae Principis, et fundorum publicorum Patronatus beneficia, diem peractae Canonicae Investitionis Exc. Reg. Gubernio ad notitiam perferre.

NUMERUS III.

Festa abrogata.

Festa abrogata, quibus DD. Parochi, et Administratores Parochiarum, nec non Curati, in sensu Circul. ddo 12 Mart. 1858. Nro. 461. item ddo 24. Octobr. 1858. Nro. 1901. obligantur pro fidei populo s. Missae Sacrificium offere, sunt sequentia:

Feria III. Paschatis et Pentecostes.
Festum S. Mathiae Apost.
" S. Joseph Sponsi B. M. V.
" SS. Philippi et Jacobi Apost.
" Invent. S. Crucis.
" Nativit. S. Joan. Bapt.
" S. Jacobi Apost.
" S. Annae Matris B. M. V.
" S. Laurentii Mart.
" S. Bartholomaei Apost.

- Festum S. Matthaei Evang.
 " Dedicat. S. Mich. Archang.
 " SS. Simonis, et Thaddaei Ap.
 " S. Andreae Apost.
 " S. Thomae Apost.
 " S. Joannis Ap. et Ev.
 " SS. Innocentium M. M.
 " S. Silvestri Pap. et Conf.

NUMERUS IV.

Norma Divisionis Proventuum Beneficialium.

Georgius Girk, Dei Miseratione, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Sacratissimae Caesareae, et Regio-Apostolicae Majestatis Actualis Intimus Status Consiliarius, SS. Theologiae Doctor Collegiatus. Mox a suscepso Almiae Dioecesis huius, cui sola Dei, qui dives est in sua Misericordia, dispositione praepositi sumus, Regimine, animum nostrum ad condendum certum Statutum, intuitu Divisionis, et Repartitionis Proventuum parochialium Antecessorem inter et Successorem, nec non pro tempore constitutum Administratorem, adjientes; quoniam par erat eos praevie huius intuitu audire, quos res maxime concernebat: non intermisimus mediantibus Literis nostris dto 22-ae Septembbris anni 1854. sub Nro. 1528 per dilectum Clerum nostrum ad sensa sua eatenus depromenda, atque ad opinionem suis cum motivis, et rationum momentis deductam, Nobis submittendam paterne provocare.

Cum itaque e receptis, lectis, ac discussis Districtuum Vice-Archi-Diaconalium relationibus, Venerabilis Cleri Nostri intuitu divisionis Redituum Parochialium instituendae sensa abunde intellexerimus; consultantibus vero Nobiscum Dignissimis Venerabilis Capituli Nostri Membris eam preponderare opinionem perspereximus, ut pro

initio anni ecclesiastici relate ad divisionem, et repartitionem Parochialium Redituum terminus idem, qui pro exordio anni civilis servit, prima videlicet Januarii, defigatur, normaque illa, qua in Capitulis et Beneficiis Collationis Regiae divisio instituitur, veluti aequitatibus maxime conformis et neutri parti injuriosa exoptanda sit: itaque tam ideo, quam quod Altissima Mens Regia, prout haec ex Benigna Resolutione die 21-a Junii 1808. Nro. 12778 elucescit, 1-am Januarii pro participatione, et divisione canonicalium reddituum defigendo, ea esse videatur, ut generatim ob uniformitatem idem divisionis participationis terminus in omnibus beneficiis ecclesiasticis assumatur: occasione mutationis in beneficio parochiali observanda Auctoritate Nostra ordinaria statuimus sequentia:

1-o. Proventus Lecticales et Deputata cuiuscunq; nominis et speciei, adeoque etiam ligna focalia, item supplementum congruae parochialis, alicubi e Fundo Religionis numeratum, inter Condividentes pro rata temporis praestiti, et praestandi servitii dividantur, a 1-a Januarii annum computando. Ubi nefors per speciem Contratum aliter stipulatum esset, ibi pro cynosura serviat terminus contractualiter stipulatus.

2-o. Fructus cuiuscunq; speciei sint, seu vernalis seu autumnalis Sessionis parochialis, aut hortorum extravillanorum, dividantur pro rata temporis praestiti servitii, pariter a prima Januarii annum computando; semine seminanti semper prius in natura restituto, atque expensis cultivationis, et aliis, si quae fuissent, a proportione per condividentes ex aequo supportandis.

3-o. Falcastorum, item vervactorum, in quantum poscentibus adjunctis nefors authumnali vel vernali semine inseminarentur, fructus, aequo ut supra dividantur, a 1-a Januarii nempe annum computando.

4-o. Foenum et cordum, inter Antecessorem et Successorem, item pro tempore Administratorem, dividatur etiam pro rata temporis a 1-a Januarii, habita tamen semper ratione falcaturae, collectionis, et inventurae, si nempe percipiens ad haec expendere debuit, et non Communitas paratum foenum, aut hosce labores praestitit.

5-o. Procreatio vini, seu ex vineis, seu ex hortis non culinaribus, pariter dividatur pro rata temporis praestiti et praestandi

servitii, a 1-a Januarii inchoando, cum onere expensarum in cultivationem vinearum, nec non in vendemiationem insumtarum, per Condividentes in proportione supportandarum.

6-o. Fructus hortorum domesticorum vulgo culinarium minoris momenti, cedant beneficiato pro tempore existenti, maioris vero momenti, quantitatis, et valoris fructus, dividantur ut puncto quinto. Nulli vero discedenti e beneficio, multo minus haeredibus licitum esto, arbuseulas in horto iam fixe implantatas, ac dislocatas excerpere et auferre; solum ex arbuseulis in Plantario adhuc existentibus integrum esto discedenti partem secum auferre.

7-o. Cum quivis beneficiatus terragia parochialia cultivare obstrictus sit; idcirco finum absolutam, et exclusivam proprietatem terragiorum parochialium esse, nullique divisioni obnoxiali posse, declaramus.

8-o. Proventus Stolares sunt semper beneficiati pro tempore existentes.

9-o. Stipendium Missarum fundatarum, quae certis determinatisque diebus absolvendae sunt, ille percipiat, sub cuius actualis beneficii possessionis tempus, defixus ille dies inciderit, sacraque terminata fuerint. Si tamen ex mente fundatoris per certam fundationem, seu haec in aere parato, seu in fundis immobilibus consistat, conveniens subsistentia s. Curionis intendatur, et haec ipsa intentio seu in Coordinatione, et per Ordinarium piae foundationis acceptatione, seu in Decreto Visitationis Canonicae expressa est: in casu hoc fructus talismodi piae foundationis dividatur pro rata temporis a 1-a Januarii inchoando.

10-o. Optioni condividentium semper relictum esto, utrum in divisione calculum in aere parato assumere, vel proventus in natura dividere velint.

11-o. Oberto aliquali dubio occasione divisionis, si condividentes amicabiliter convenire non possent, negotium Gubernio dioecesano pro decisione substernendum erit.

Atque haec sunt, quae circa divisionem et repartitionem Proventuum Parochialium, dum mutationes intervenerint, decernimus, sancimus, ad amussim deinceps inviolabiliterque observari volumus,

committentes cunctis V.A.Diaconis, Parochis, Parochiarumque Administratoribus, cunctis item substantiarum Executoribus: ut iuxta hocce Decretum, Statutumque Nostrum, in quibusvis mutationum casibus a modo in posterum eventuris procedere, ac divisionem instituere teneantur, sintque obligati, particularibus quorundam circa nonnulla in contrarium opinionibus non obstantibus, nec in futurum obstatre queuntibus. Datum et Sessione Consistoriali die 15-a Februarii anno 1855. celebrata.

Norma hacc servit etiam pro divisione Proventuum Ludirectorum, iuxta Circ. sub Nro. 1839 / 1860.

NUMERUS V.

De Examine Synodali.

Expedit maxime animarum saluti, sic loquuntur Patres Concilii Tridentini, — ¹⁾ a dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut cum parochialis Ecclesia vacaverit, idoneum in ea Vicarium cum fructuum portionis assignatione Episcopus constitutat, donec ei de Rectore provideatur; dein constituto tempore de cuiuslibet in parochialibus applicandi aetate, moribus, et scientia diligens fiat inquisitio, eo modo, ut quilibet per Episcopum, aut Vicarium ejus et alios Examinateores, non pauciores quam tres, examinetur, quo sic certius e dignis dignior eligi valeat.

Ut quo exactius ad hanc solenni lege ecclesiastica enunciatam formam Nos quoque accederemus, et gubernio animarum digniores redderemur: eamdem deinceps in univera Ecclesia Hungarica quam strictissime observandam esse, Praesules Ecclesiae et quidem:

Joannes Archi-Episcopus, qua Primas Regni,
Franciscus C. a Nádasd, Archi-Episcopus Colocensis,
Adalbertus Bartakovics, Archi-Episcopus Agriensis,

¹⁾ Sess. 24. Cap. 18. de Ref.

Emeritus Palugay, Episcopus Nitriensis,
 Georgius Haulik, Episcopus Zagrabiensis,
 Emeritus Ozsegovich, Episcopus Segniensis,
 Josephus Gaganecz, Gr. Cath. Episcopus Eperjesensis,
 Gabriel Smicziklasz, Gr. Cath. Episcopus Crisiensis,
 Basilius Erdélyi, Gr. Cath. Episcopus Magno-Varadiensis,
 Antonius Karner, Episcopus Jaurinensis,
 Joannes Ranolder, Episcopus Veszprimiensis,
 Josephus Kunszt, Episcopus Cassoviensis.,
 Josephus Strossmayer, Episcopus Diakovárensis,
 Stephanus Kollárcsik, Episcopus Rosnaviensis,
 Ladislaus Zábojszky, Episcopus Scepusiensis,
 Michael Fogarassy, Delegatus Episcopi Transsylvaniae.

Michael Rimely, Archi-Abbas Montis Pannoniae, in Conferentia Strigonii a. 1850. congregati, unanimi voto determinarunt, id enunciantes: „Ut nullus Presbyterorum ad parochiale Beneficium praesentari possit, nisi prius examen synodale in sex annos valitum, post exactum presbyteratus triennium bono cum successu subierit.“

Hujus decisionis conferentialis in sequelam, sequentia circa Examen synodale, seu concursuale Parochorum, pro futuro inviolabiliter servanda decreta et disposita sunt:

1-o. Ut quis pro Beneficio vacante per concernentem Patronatum cum effectu praesentari, officiove parochiali admoveri possit, examen concursuale bono cum successu subiverit, est necesse.

2-o. Ad examen hoc nemo ante transactum presbyteratus triennium, et praestita in cura animarum, vel alio officio ecclesiastico utilia servitia, admittatur.

3-o. Elapsso sexennio valor examinis exspirat; proinde ad beneficium, vel officium parochiale, post hoc tempus neo-consequendum aspiraturi, illud denuo subirentur.


4-o. Dispensati ab examine hoc sunt Doctores, et actuales Professores Theologiae; isti tamen nonnisi tunc, si in munere professorali tres annos egregie versati sunt. Relevari ab illo per Ordinariatum possunt viri, qui praecellentiores in se rerum sacra- rum scientiam, operibus editis, vel secus sufficienter comprobarunt.

5-o. A subeundo vice secunda, et ulterioribus vicibus, tentamine dispensari per Ordinarium poterunt illi, qui illud vice prima eminenti cum calculo subierunt, vel ab illo tempore non vulgarem scientiam, et prudentiam pastoralem luculentis speciminibus palam fecerunt.

Objecta examinis constituunt: a) Dogmatica cum Interpretatione Evangeliorum vulgatae editionis, et Sectionum s. Scripturae in Breviario Romano legendarum; b) Theologia Moralis atque Pastoralis, et hujus imprimis pars, quae de Sacramentorum, p[re]ferenter vero Sacramenti Poenitentiae fructuosa administratione agit; c) Jus Ecclesiasticum, et Decreta SS. Concilii Tridentini. Ex his orale tentamen praestabitur. Tum vero elaborata d) homiletica et e) catechistica, ad regulas artis exacta parabuntur. Pro exercitationibus his scripto deducendis una dies concedetur, usus librorum penes eas, — s. Scriptura, et Concilio Tridentino exceptis, — non permittitur.

Qui in examine eminentiae, vel primae classis calculum, ex omnibus quinque objectis retulerint, ad obtinendam praesentam, et investitionem canonicanam (si secus nil obstiterit) idonei reputabuntur.

Ex uno aliove studio secundam referens classem, hanc in proximo examine emendare poterit, e pluribus secunda classe notatus, totum examen repetendum habebit.



9.10

